

MISCELLANEA

DI

VARIE OPERETTE

Al Reverendiſs. Padre, il P. M.

CALISTO M. PALOMBELLA

Conſultore della Sacra Congregazione
de' Riti,

E

Procuratore Generale dell' Ordine de' Servi di MARIA.

TOMO SETTIMO.

IN VENEZIA MDCCXLIII.

Appreſſo TOMMASO BETTINELLI
All'Inſegna di S. Ignazio.

Con Licenza de' Superiori e Privilegio.

Reverendiſſimo Padre.

Gnoto quantunque e affatto nuovo io mi ſia preſſo di Voi, Reverendiſſimo Padre, non mi ſi aſcriverà a ſoverchio ardi-

mento, ſe ſenza la ſcorta di alcun merito preſumo di preſentarmivi per far acquiſto della grazia e padrocinio Voſtro con l'offerta di queſto picciolo dono. Tutti quelli, che non ſon pochi, dai quali queſta mia Raccolta approvazione e gradimento ſempre maggiore riſcuote, anzichè ſtupirſi del mio coraggio, giudicheranno piuttoſto ch'io ſia troppo tardo a ſoddisfare un debito, che indiſpenſabilmente mi correva fin dal principio di queſta impreſa. E a dir vero, chi non vede quanto ſtretto ſia l'obbligo mio di riconoſcere una volta quel fonte, onde mi ſon derivate le molte Opere che illuſtraron fin ora quaſichè ciaſcun Tomo della mia MISCELLANEA? Leonardo Cozzando *col ſuo Libro* de Plagiariis, Giovannagnolo Lottini

coi

coi Dialogi della Rinnovazione del Mondo, *e l'erudito P. M.* Paolo-Maria Cardi *colla ſua dotta Apologia per* Giambatiſta Mezetti *e per quel ſuo maravigliozo allievo* Jacopo-Martino Modaneſi, *che tiene il primo luogo in queſto Tomo, ſon tutti fregi che da Voi riconoſcer ſi debbono, perchè ſon tutti profeſſori d' un illuſtre Ordine, di cui pel lungo corſo di quaſi dodici anni Voi ne amministrate i più rilevanti affari coll'onorevoliſſimo titolo di* Procurator Generale, *proccurandone inceſſantemente l' accreſcimento dei privilegi, e per ogni via promovendone il decoro non meno che i vantaggi. Nè ciò fate già Voi per ſolo adempimento del carico che ſoſtenete, ma per quell'innato amore alla virtù ed alla gloria, con cui fi-*

no

no da' primi anni di voſtra religioſa vocazione v' applicaſte agli ſtudj delle più ſevere Diſcipline, e altrui ſerviſte di ſicura guida dalle più coſpicue Cattedre del Voſtro Ordine, come in Firenze ed in Roma, coltivando nel tempo ſteſſo le umane Lettere ed ogni maniera di antica e moderna erudizione; onde ne venne, che avendo così appreſa la bell' arte di meſcolare l'utile col dolce, ſiete poi ſtato da più Sommi Pontefici adoperato in molte Sagre Congregazioni e ſingolarmente in quella importantiſſima de' Sagri Riti, in cui tuttora continuate con tanto voſtro merito e riputazione. E qui quanto bene mi caderebbe in acconcio il dir coſe, che da per sè ſole baſtevoli ſarebbero a giuſtificare il mio ardimento: la facondia con

cui

cui vi fate udire orando alla presenza del Santissimo Padre e del Sagro Apostolico Collegio; le produzioni del vostro ingegno che nella più tersa latina favella all' esame non dell' orecchie, ma degli occhi fedeli esponeste più volte; la vasta erudizione con la quale addolcite le spinosità degli affari e ne agevolate le difficili risoluzioni; e sopra tutto le molte letterarie fatiche, che in mezzo a tante occupazioni sulla domestica Storia a grande avanzamento avete condotte; indi quelle che andate tutto dì meditando, per cui pronosticar vi potrei que' maggiori innalzamenti che dalla gratitudine del Vostro Ordine vi si posson promettere. Ma io non voglio per cercar di scusare la mia risoluzione, correr pericolo di offendere la vostra mo-

modeſtia, che quanto ſa meritarſi le lodi, altrettanto è di eſſe impaziente. Tutto ciò devo omettere, e ſolo attenermi a quella ſtretta relazione che la mia Miſcellanea *e queſto Tomo ſegnatamente tiene con Voi; al quale non ſo qual maggiore ornamento io mi poteſſi aggingnere, che quello d' eſſer fregiato col riverito voſtro nome. Altro dunque non mi rimane, che pregar V. P. Reverendiſſima a voler eſſere amorevole padrone di colui, che per la ſtima verſo il voſtro ſagro Inſtituto, fattoſi voſtro debitore, cerca occaſione di moſtrarſi grato, sè ſteſſo e le coſe ſue offerendovi, ed eternamente a' ſervigi voſtri conſacrandoſi*

Di V. P. Rev.ma

Venezia a' 15. Luglio 1743.

Umiliſs. Divotiſs. Oſſeq. Ser.
Tommaſo Bettinelli.

TA-

TAVOLA

DELLE OPERETE.

Che ſi contengono in queſto VII. Tomo.

I. APologia pro *Joan. Bapt. Mezetto* ejuſque diſcipulo *Jacobo Martino Modaneſio* elaborata per Mag. Fr. *Paulum Mariam Cardi* Regienſem Ord. Ser, B. M. V. editio ſecunda. *A cart.* 1.

II. *Lettere* inedite d'alcuni *illuſtri Uomini* del ſedicesimo ſecolo. 149.

III. *Jatrophobia*, ſeu de *Medicorum* quorumdam ſævitate ac inſcitia, dialogus *Aloyſii Lollini*: 193.

IV. Della *Figura* e *Miſura* della *Terra*, Lezioni di *Tommaſo Donzelli*. 221.

V. Capitolo di *Eraſmo* de' Signori di *Valvaſone* a *Ceſare* ſuo Nipote. 271.

VI. *Conſtantiæ Varaneæ*, Piſauri Principis, *Orationes* & *Epiſtolæ* ad fidem veteris codicis nunc primum editæ. 295.

VII. *Bartholomæi Facii* in *Laurentium Vallam Invectivæ*. 331.

VIII. *De' Genj* lezione del P. D. *Gianfranceſco Madriſio* Sacerdote dell' Oratorio. 365.

IX. *Joſephi Averanii J. C.* & in Piſana Academia Anteceſſoris de *Calculorum* ſeu *Latrunculorum* ludo *Diſſertatio*. 461.

ER-

ERRORI.

Pag. 7. rig. 1. prea (leggi) præ. P. 68. rig. 1. præcor (leggi) precor. P. 92. rig. 21. Dæmone (leggi) a Dæmone. P. 130. r. 17. deliberemus (leggi) delibaremus. P. 154. r. 6. Architettura (leggi) Agricoltura. Ivi r 11. Agricoltura (leggi) Architettura. P. 176. r. 8. Servirmi (leggi) Santiſs. P. 287. r. 5. t'inſegno (leggi) t'inſegna. P. 377. r. 7. Romam (leggi) Roman. P. 453. r. 6. cenſorino (leggi) Cenſorino. P. 498. r. 22. Idemde, (leggi) Idem de. P. 551. r. 28. concedunt (leggi) conceduntur.

APO-

APOLOGIA

PRO

P. JOANNE BAPTISTA MEZETTO

Ordinis Servorum B. M. V.
ejuſque Diſcipulo

JACOBO MARTINO MODANESIO

Elaborata

PER MAG. FR.

PAULUM MARIAM CARDI
REGIENSEM,

Ejuſdem Inſtituti Profeſſorem.

EDITIO SECUNDA

Auctior, & caſtigatior.

Melius eſt qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt. D. Auguſt. *De vera Relig. cap.* 55. *num.* 108.

Non è questa la prima volta, che colle stampe di Venezia comparisca in vista del Pubblico l' erudizione del Padre Maestro Paolo Maria Cardi *dell'Ordine de' Servi di Maria. Fin dall'an. MDCCXXXIII. furono dati alla luce da questo Stampatore* Giuseppe Corona *i dotti Commentarj di lui sopra quella parte del Rituale Romano, che prescrive la maniera e le regole di esorcizzare gli Energumeni, ricevuti con quell' applauso che è ben noto. Molte altre letterarie fatiche ha il* P. Cardi *pubblicate altrove senza suo nome, e molte ne sta egli attualmente lavorando utili ed importanti egualmente, tuttochè sia stato occupato sempre in gravissime Cariche, e di presente eserciti quella di Segretario del suo Ordine. Di questa* Apologia, *che separatamente dovevasi riprodurre dall' onorato Librajo nostro* Tommaso Bettinelli, *gentilmente ha egli consentito, che ne facciamo parte del presente Tomo della nostra* Miscellanea; *di che speriamo, abbiano gli Eruditi a sapercene buon grado, come di cosa non meno erudita, che dilettevole, trattata secondo le regole della più savia Critica, e con quella moderazione d' animo, che dovrebbe esser propria d' ogni Cristiano e civile scrittore, il quale imprenda a difendere le cose sue anche in materia dilicata, come è questa di cui egli tratta.*

A. RR.

A. RR. PP.

Priori, Magiſtris, Diſcretis, ceteriſque Filiis Conventus S. Laurentii de Butrio Ordinis Servorum B. M. V.

Fr. PAULUS MARIA CARDI REGIENSIS,

Ejuſdem Inſtituti, Felicitatem.

QUae duae me potiſſimum cauſae moverunt, ut Apologiam hanc meam, cum alias jam lucem aſſpexit, veſtro inſcriberem nomini; hae ambae nunc ipſae me impellunt, Praeſtantiſſimi Patres, ut eandem recuſam, auctam, ornatamque vobis iterum ſiſtam. Ipſa nimirum Apologiae natura atque conditio, omniumque veſtrum profeſſio & Inſtitutum; quarum utramque dum cogito, nemini magis, quam vobis laborem hunc meum deberi intelligo. Cum etenim ego id unum in tota hacce Opella contendam, ut nomen famamque Clariſſimi viri P. M. JOANNIS BAPTISTAE MEZETTI, ejuſque Alumni Pueri ſeptennis JACOBI MARTINI MODA-

NESII ab inſcitis hominibus fuligine fumigatum, quin & carbone uſtulatum, proprio ſuo pulcherrimoque reſtituam nitori; non video ſane quibus potiſſimum erat Opella iſta ſtatuenda, quam vobis, qui praeterquamquod commune habetis cum *Mezetto* Inſtitutum, & plerique veſtrum eandem etiam cum ipſo Patriam nacti eſtis, quique Butrienſe illud Coenobium, tamquam filii, ut ajunt, incolitis, quod *Mezettus* domicilium, dulcemque nidum ſibi ſtudiiſque ſuis & litterato otio ſortitus eſt, atque tandem in quo improbo triennii ferme labore, tanta Scientiarum omnium Puerum *Mezettus* imbuit litteratura, ut prodigio ſimilis atque portento Urbi poſtmodo videretur & Orbi. Verum ut has vobis dicarem Vindicias, an ipſarum natura, an veſtrum Profeſſio ac Inſtitutum adegerint magis profecto ſum in ambiguo. Dum autem Profeſſionem nomino & Inſtitutum, vitæ veſtrae conſuetudinem intelligo & converſationem, quam ita quidem dirigitis vos, ut redivivus in vobis *P. Mezettus* ferme videri queat. Quemadmodum enim vir ille

prae-

praeclariſſimus, poſt datum Religioni noſtrae nomen eo animum mentemque convertit totam, ut inſueto eoque magis pulcherrimo conjungeret connubio cum flagrantiſſimo ſcientiarum omnium amore ſtudioque non fucatam, ut fit plerumque, ſed firmam, certam vereque Chriſtianam pietatem, atque propterea inter improbum comparandarum Exoticarum Linguarum conatum, inter aſſiduam indagandorum naturae arcanorum ſollicitudinem, inter ſubtiliſſimas Mathematicae ſpeculationes, inter difficillimas graviſſimaſque Theologiae & Divinorum Bibliorum contemplationes, cunctarum denique Artium adipiſcendarum edocendarumque infinitum pene laborem; morales itidem Libros evolvit & conſcripſit, quos Aſceticos vocant, atque in Chriſtianae Reipublicae vulgavit emolumentum; ſacras per annos habuit ad populum conciones, iisque demum operibus vacavit omnibus, quæ doctum atque eruditum virum accuratiſſime quidem, ſed vere Chriſtianum, planeque religioſum proderent: ita ſane & vos, PP. præclariſſi-

mi, cum in Philoſophicas & Theologicas Scientias incumbitis, cum Sacrarum Litterarum, & Patrum potatis fontem, adeo nihilominus pietatem excolitis & religionem, ut non Conterraneis modo, ſed toto Ordini noſtro exemplo eſſe poſſitis & decori. Quid hic referam morum integritatem? quid comitatem, manſuetudinem? Quid egregiam eam erga cunctos charitatem? Ipſum, ipſum Butrium ore praedicet hiante, qua, quantaque diligentia, ſolertia, ſollicitudine commiſsam vobis animarum curam impleatis. Bononienſis ampliſſima Dioeceſis, quae ceu lectiſſima vinea multos vobis ſimillimos ucupatur cultores, ea celebret ipſa, qua contentione, quove uberrimo fructu grande, divinumque Catecheſis, & Praedicationis exequamini demandatum vobis opus. Vidi ego ſane, dum Butrium me Ordinis negotia adduxerunt, multaque vidi animi mei voluptate, Eccleſiam Dei a vobis auctam amplificatamque, picturis elegantiſſime ornatam, auro argentoque ditatam; vidi Altaris & Sacerdotii ornamentum; vidi reliquam, eamque pretioſam ſupellecti-

lectilem: aſt, rem dico ingenue, prea his omnibus meos tetigit oculos Sacrorum Officiorum diligentiſſima celebratio, Sacrificiorum frequentia, Sacramentorum adminiſtratio, omnium denique veſtrum de divino cultu ſollicitudo plane celebranda. Scio equidem vos non in veſtram tantum utilitatem, quantum in totius Oppidi ſplendorem optimam navaſſe operam in reſtaurando Monaſterio, dilatandoque qua porticibus, qua parietibus, qua aedibus: verum id laudo ſummopere, quod domeſticis in laribus incluſi, omnibus popularibus veſtris praeſto eſtis, excipitis omnes, omnes fovetis, atque omnibus & conſiliis & officiis & operibus opitulamini. Quare cum non modo memoriam colere, ſed vel P. M. *Joannis Baptiſtae Mezetti* Profeſſionem & Inſtitutum aemulari videamini, quod cum ſcientia pietatem religionemque ſociatis; nemo forte ullus eſt, qui non videat quanto equidem jure hanc vobis ego adſuam Apologiam, quae tanti Viri vindicat famam nomenque celeberrimum. Duabus hiſce hactenus expoſitis, tertiam libet, eamque praecipuam

adjicere cauſam, cur poſtremam hanc Apologiae editionem ſtatuerim Vobis. Si enim quae alias facta fuit editio minus compta quidem, & minoris molis, veſtrum nihilominus praetulit Nomen, eam certe decebat maxime eodem Nomine veſtro ornari, quae ultimum prodit elegantior aliquantiſper, vel ſane caſtigata magis, multumque aucta. Qui interim opto atque etiam ſpero, fore ut meam erga vos voluntatem probetis, Deum O.M. magnopere precor, ut ſupernis vos impleat muneribus.

Romae ex Coenobio S. Marcelli decimoquinto Cal. Maii MDCCXLI.

LECTORI BENEVOLO.

NE quaeso mirere, amice Lector, si non semel atque iterum, sed tertio hac de re verba faciam. Quas enim tum primum Vindicias vulgavi, cum anno MDCCXXXIII. Ritualis Romani documenta de exorcizandis obsessis a Daemonio prelo supponerem, eae mutilae evaserunt. Quippe qui crebris urgentibusque litteris sollicitatus, vel etiam pressus ab *Josepho Maria Corona* Veneto Typographo, ut quod paratum Venetias mitterem actutum, quod jam typus ad finem properaret; ut temporis fiverunt angustiae, raptim aliqua & tumultuarie collecta adegi in unum, atque adhuc atramento madentia ad praestolantem dimisi Typographum, in Commentarium documenti IX. post numerum II. inserenda: sicque factum est, ut rudes, incomptae solisque ferme domesticis pannosae monumentis, primam aspexerint lucem Vindiciae. Quam vero Apologiam anno MDCCXXXV. Romae typis Komarek edidi, aliquantulum qui-

dem papyro inceſſit pinguior, quod ad noſtratium, externorum quoque aliqua alia acceſserint monumenta, quae per otium potui adinvenire: aſt cultiorem, politioremque reddere nec fuit, nec curae mihi eſſe debuit: cum enim eam ita cenſuerim tantum accommodare, ut ſi qui vellent, aptiſſime poſſent Commentariorum nectere Libro, ut primarum Vindiciarum formam, ſtilumque Commentariorum ſimillimum retinerem (qui tenuis licet, tamen per ſe ſatis eſt ad docendum) ipſum videbatur propoſitum meum poſtulare. Quoniam vero ex humaniſſimis Amicorum litteris, qui Apologiae meae editionem aequis oculis perlegere, intellexi frequenter, ſibimetipſis, atque etiam forte ceteris veritatis antiquitatiſque amatoribus, rem gratam me facturum, ſi quae trunca & mutila (ut rei propoſitae conditio tunc exigebat) in Vindiciis protuli monumenta, in unum coacta, plexa atque perfecta exhiberem; morem gerere non recuſavi, atque tertiam Vindiciis admovens manum, in adjectam Apologiae Appendicem monumenta ordinate diſpoſita,

ſuiſ.

ſuiſque numeris praeſignata collocanda ſuſcepi. E re porro nata, cum multa mihi in dies eaque egregia occurrerint monumenta inviſa penitus antea, quaeque praeterire nefas eſset; non modo eis veterem fulſi, ſed veluti etiam ex integro ipſam refeci Apologiam: etenim praeterquamquod multo hanc altera feci copioſiorem; ipſam quoque materiem in meliorem diſpoſui ordinem, ſtilumque ſaepe verti, elegantiam leporemque aliquem in ſcribendo non refugiens. Cauſam igitur habes, amice Lector, cur tertium hunc ſubjecerim laborem, quem ut probes, maxime opto. Interea ſpero, ut quae magis ex his Vindiciis afferitur veritas, *ipſis quoque ora obſtruat inimicis*. (a) *Nec mihi vitio verti poſſe crediderim*, ut Macrobii utar verbis (b) *ſi res, quas ex lectione varia mutuabor, ipſe ſaepe rebus, quibus ab ipſis Auctoribus enarratae ſunt explicabo; quia praeſens Opus non eloquentiae oſtentationem, ſed noſcendorum congeriem pollicetur*. Ceterum, *ſi quid de iſtis rebus*

(a) D. Jo. Chriſoſt. *homil.* 10. *in Epiſt.* 1. *ad Timoth.*

(b) *Lib.* 1. *Saturnal. in praefat.*

inveniſti melius, ſive invenire potueris, gratiſſimum habebimus, ſi nos feceris noſſe. Ego enim.... magis amo diſcere, quam docere. (a) Vale, meque fac ut ames, meumque laborem aequi bonique conſulas.

APO-

(a) D. Aug. de 8. *Dulcitii quaeſt. in fin.*

APOLOGIA
PRO
P. JOANNE BAPTISTA
MEZETTO

Ordinis Servorum B. M. V.
ejuſque Diſcipulo

JACOBO MARTINO MODANESIO.

QUod ſcite olim a magno Auguſtino ſcriptum eſt : (a) *occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt;* id cauſae arbitror, quam tractandam aggredior, quadrare mirifice. Enim vero ſi forte factum eſt, ut clariſſimum nomen P. M. JOANNIS BAPTISTAE MEZETTI, ejuſque Diſcipuli JACOBI MARTINI MODANESII, quod totam quondam impleverat Urbem, inglorium poſtmodum profligatumque apud eos maxime ja-

(a) *Enarratione in Pſalmum* 61.

jacuerit aliquandiu, qui oculos animumque in ea intenderint, quae audacter scripsit de praestantissimis hisce Viris *P. Candidus Brognolus* Ord. S. Francisci strictioris, ut vocant, Observantiae; emerget, spero, e tenebris, post Apologiam hanc meam, iterum in lucem laudatissimum nomen, atque a mala labe vindicatum, avitoque nitori restitutum, ex ergastulo, quo a *P. Brognolo* inconsulte damnatum est, in theatrum prosiliet denuo, scenamque replebit spectatissimam. Ea vero, quae ad tempus occultari potest veritas, vinci autem perpetuove obrui non potest, e caligine erumpens & latebris, victrix, gestiens & veluti triumphum agens in omnium tandem oculis versabitur, illorumque praesertim, qui Vindicias hasce meas, partium, ut par est, sepositio studio, evolvere non recusabunt. Itaque rem ad manus revocemus.

Eo processit praefatus *P. Brognolus*, ut libero admodum, quin & praecipiti calamo scribere haud fuerit veritus, nostros hosce ambos laudatissimos Viros arctissimam cum Cacodaemone so-

cie-

cietatem familiaritatemque inisse; proindeque quidquid vel Magister *Mezettus* exquisite traderet docendo, vel Adolescentulus *Modanesius* velocius portentoseque apprehenderet edoctus, infando hujusmodi, nequissimoque commercio esse tribuendum. Idque adeo sibi habuit exploratum, ut (recte quidem decernens, doctrinam daemonis ope acquisitam evanescere demum, si quando vale diabolico dicatur magisterio) in assertionis suae exemplum argumentumve firmissimum praeponere Viros nostros adducat. Sed ejus proferamus ipsissima verba, ne Scriptori imponere videamur. Igitur haec scribit in Libro quem *Alexicacon* titulavit *parte* 1. *sect.* 1. *art.* 1. §. 6. *num.* 262. *pag. mihi* 142. *editionis Venetae apud Pezzanam MDCCXIV.* „ Hoc evenisse in „ comperto est Romae anno Domini „ 1647, dum ibi commorarer. Pervenit illuc quidam puer annos circiter octo aetatis habens cum suo Magistro Religioso cujusdam Religionis, quos ego vidi: qui quidem Puer „ publicas Theses proposuit disputandas, continentes totam Philoso-

„ phiam

„ phiam ac Theologiam universam D.
„ Thomae, quas dicavit Summo Pon-
„ tifici felicis recordationis Innocen-
„ tio X, easque publice defendit in
„ Ecclesia Minervae, praesentibus
„ multis Cardinalibus, Episcopis,
„ Praelatis, Theologis, Religiosis,
„ ac cujuslibet conditionis ac status
„ hominibus, qui omnes hujusmo-
„ di Puerum ut prodigiosum admi-
„ rabantur; post quarum defensionem
„ multis a Cardinalibus donariis acce-
„ ptis, una cum suo Magistro Roma
„ honorifice discessit. At cum Laure-
„ tum perveniset, & quidam Praela-
„ ti in magnam Ecclesiam Laureta-
„ nam eum adduxissent, observarunt,
„ quod nec aqua benedicta frontem ab-
„ stersit, nec signo Crucis Christiano-
„ rum more se munivit; ac tandem
„ dum in Sacratissimam Aediculam
„ Beatissimae Virginis introducere
„ vellent, illico daemon illum se pos-
„ sidentem prodidit, voces clamoro-
„ sas emittendo. Magister vero illius
„ aufugit, qui cum a Ministris S. In-
„ quisitionis quaereretur, se ipsum vo-
„ luntarie ex alta turri praecipitem de-

„ dit.

„ dit. Puer vero daemoni abrenun-
„ cians, totam illam ſcientiam a dae-
„ mone infuſam amiſit, ac priſtinae
„ ignorantiae reſtitutus, in quodam
„ Conventu piorum Religioſorum in-
„ cluſus ſub Magiſtro Catholico ac pio
„ educatus, vitam in melius commu-
„ tavit. Ex quo patet, quod illius
„ Pueri ſcientia, in publica Eccleſia
„ Minervae patefacta, non fuit habi-
„ tus acquiſitus, vel infuſus, ſed po-
„ tius daemonis illuſio, ſeu fanatica
„ conſperſio, atque infectio. Hucuſ-
que *P. Brognolus*, cui, quaeſo, quan-
ta fides, ſi ſe teſtem oculatum facit ?
praeſertim Polybio ſcribente: (a) *cum tantum revera eſſe bonum hiſtoricum, qui de his ſcribebat rebus, quibus ipſe interfuit.*

Verum Scriptor hic, ceteroqui do ctus, aberrat, ut vetus adagium eſt a janua, & comminiſcitur certe, vel ſaltem male labitur. Quod ut patefaciamus, in trutina ponimus ſingula ejus verba: & ſi quae ſunt, quae ad veritatem accedant, nova luce illuſtra mus:

(a) *Lib.* 12. *hiſtor.*

ius: quae porro aut veritatem obnubilant, aut ipsam quoque jugulare & perimere conantur, censoria virgula castigamus. Quamquam autem *difficile est alienas lineas insequentem non alicubi excidere*, ut ait Hieronymus (*a*): nihilominus a conviciis contumeliisque temperabimus, atque tanta moderatione rem conficiemus, ut nequaquam calamum in quempiam acuisse, sed veritati tantum & causae scripsisse videamur.

Igitur a linea, ut ajunt, incipiamus. *Hoc evenisse*, inquit *P. Brognolus*, *in comperto est Romae anno Domini* 1647. *dum ibi commorarer. Pervenit illuc quidam Puer annos circiter octo aetatis habens cum suo Magistro Religioso cujusdam Religionis, quos ego vidi.* Vah Patris *Brognoli* urbanitatem, humanitatemque celebrandam, qui ut Virorum parcat pudori, eorum hic parcit & nomini! Verum paulo inferius ita graphice eos describit, ut bardus sit, si quis non intelligat, quos veluti digito designat. Suam propterea sibi habeat

Bro-

(a) *Praefat. in Euseb. Chronic.*

Brognolus urbanitatem; nos sane Viros nostros malumus incedere detracta larva, quam adeo male personatos. *Puer annos circiter octo aetatis habens* fuit *Jacobus Martinus Modanesius*. Is natus est die XI. Novembris anno MDCXXXIX, ut ex fide Baptismi, Libello Institutionum inserta, (*a*) certissime intelligimus: quare cum Romam advenerit die VI. Aprilis anno MDCXLVII, (*b*) celebremque habuerit Disputationem die Pentecostes, quae eo quidem anno in diem IX incidit Junii, (*c*) sua sponte sequitur, Puerum egisse annos VII, menses VI, dies XXVIII, quando publicum subiit in Urbe admirandumque certamen. Qui igitur secus de Pueri nostri aetate scripsere, hi haud dubie decepti sunt, quos inter Antonius Godeau Episcopus Venciensis, (*d*) & Hadrianus Baillet (*e*) Scriptores

(a) Vide *Monumentum I. in Appendice.*
(b) Vide *Monumentum II. ibid.* (c) Vide *Monumentum idem; & constat etiam ex Littera Dominicali.* (d) *Histoire de l'Eglise Siecle 2. livre 2.* (e) *Des Enfans devenues celebres par leurs etudes. Chap. 86. §. 5. Et Jugemens des Scavans Tom. 1. Par. 2. Chap. 9.*

res ceteroquin clariſſimi, qui Puerum annos X, vel XI natum faciunt.

De cognomine vero, ejuſque Patria varie admodum creditum eſt. Janus Nicius Erythraeus, (*a*) & Nicolaus Angelus Cafferius (*b*) *ex ignobili agri MUTINENSIS PAGO* Puerum ortum duxiſse tradunt. Albertus Carradorus Butrii natum aſſerit (*c*): *Giacomo Modoneſi figlio di Franceſco Modoneſi..... che era nato in BUDRIO l' Anno MDCXLI* (ſed melius ſcripſiſſet anno MDCXXXIX.) Ex Monumento V. quod cum ceteris daturi ſumus ad Apologiae calcem, *Martinus* non fuit nomen Puero, bene vero cognomen: *Facendo iſtanza alli Padri di Caſa, che ſi accettaſſe Jacomino MARTINI*; & paulo poſt: *Se ſi compiacevano accettare Jacomino MARTINI*. Quod idem indicare videtur Cafferius, ipſum nuncupando *Jacobum Martinium*. Contra vero ex Monumento VII. *Martinus* fuit Puero nomen, non cognomen. *Gia-*

co-

(a) *Pinacotheca 3. Imagin. illuſtr. Viror. &c. Coloniae Agrippinae 1648. pag. 296.* (b) *Synthem. Vetuſtat. ſive Flor. hiſt. Romae 1667. pag. 47.* (c) Vide *Monumentum VI.*

comino MARTINO Modanesi fanciullo d' anni sette. Sed quid nodum quaerimus in scirpo? Praesto est certissimum testimonium rem totam ponens in propatulo. Presbyter, qui Sacris lustralibus aquis Puerum abluit, haec in Baptismi fide prompsit: *XIII. Novembris MDCXXXIX. Ego Joannes Baptista Sega baptizavi Infantem natum die XI. currentis hora decima ex Francisco Modanense, & Francisca Conjugibus, cui nomen fuit impositum Jacobus MARTINUS..... Datum RACANI die, & anno supradicto*. (a) Ex his nimirum, omni amota dubitatione, constat manifesto quod *Martinus* Puero nomen fuit, non cognomen; Patria vero *Racanum*, non *Butrium*. Supereſt igitur, ut quae in libro Institutionum de ipso Puero legimus: *Institutiones Theologicae &c. delibatae a Puero septenni Jacobo Martino Modanesio, nativitate VENETO, educatione BONONIENSI, genere MUTINENSI &c.* ita intelligamus, Puerum nempe nostrum, qui *Jacobi Martini* nomen sortitus est, *Nativi-*

(a) Vide *Documentum* I. *cui inseritur hoc testimonium*.

vitate Venetum fuisse, quia primam aspexit lucem Racani in Venetorum dominio Pagi distantis tria ferme passum millia a Rhodigio: *Educatione* vero *Bononiensem*, quia *Butrii*, quod perinsigne est Bononiensis ditionis Oppidum, Bononia decem millia passuum dissitum, litteris egregiam navavit operam: *Genere* tandem *Mutinensem*, quia nimirum ejus Pater *Franciscus* oriundus a *Mutina*, inde cognomen duxit *Modanensis*, ut in fide legimus Baptismi; melius *Mutinensis*. Verum vulgi licentia, agnomine *Mutinensis*, Italice *Modanese*, in cognomen mutato *Modanesii*, Italice *Modanesi*, *Franciscus Mutinensis*, *Franciscus Modanesius* est appellatus. Sanguinis porro obscuritas, reique familiaris summa caritas, causa forte fuit, cur cognomine neglecto, sive etiam amisso, Pueri nostri Pater *Mutinensis*, vel *Modanesius* nuncuparetur, agnomine videlicet a nativitatis loco, ut dicebamus, mutuato. Ex coaevis sane Scriptoribus intelligimus, *Franciscum Modanesium BAJULUM*, seu *CANNABARIUM* egisse, atque in eam etiam venisse inopiam, ut aliquan-

quando ejus Filius mendicaverit: *Giacomo Modoneſi figlio di Franceſco Modoneſi, detto Matterello, che era nato ec. Suo Padre eſercitava il meſtiere del Gargiolo, ed ERA POVERO A SEGNO, CHE IO PIU' D'UNA VOLTA FECI ELEMOSINA al detto Giacomo.* Haec quidem Carradorus (*a*). Similia habent Erythraeus, & Cafferius, (*b*) qui Jacobi Parentem *Bajulum* faciunt: *Patre Bajulo*, atque ad ejus indicandam egeſtatem ſubdit praeterea Erythraeus: *Ab eoque in ſpem ejuſdem, ſive artificii, ſive exercitationis educatus, eo quod nollet filium ſe majorem habere, ut ſæpe etiam cum eo, a quo erudiebatur, jurgio contenderet, ac quereretur ſibi filium eripi, & aſſidua illa exercitatione ſtudiorum, quae vires animi augeret, corporis minueret, minus eum aptum AD BAJULI MUNUS, CUI DESTINAVERAT REDDI.* Atque hæc ſatis de aetate, nomine cognomine, patria & ſtatu Pueri noſtri.

Magiſter autem Pueri *Religioſus cujuſdam Religionis*, ut eum vocat *Pater Brognolus*, fuit *PATER JOANNES BA-*

(a) Vide *Monumentum VI.*
(b) *Locis ſupra citatis.*

BAPTISTA MEZETTUS a Butrio Ordinis noſtri Servorum B. M. V. Profeſsor, ſacrae Theologiæ Magiſter, in Bononienſi Theologorum Collegio florentiſſimo Doctor Collegiatus, pietate, ingenio, eruditione, divinarum denique humanarumque Diſciplinarum cognitione, atque praeſtantia celebris; quemadmodum ex iis, quae in hac Opella dicturi ſumus, patefiet.

His, ut reor, quantum ſat eſt, bono in lumine collocatis, alia *Patris Brognoli* verba trutinemur. *Qui quidem Puer publicas Theſes propoſuit diſputandas continentes totam Philoſophiam, ac Theologiam univerſam D. Thomae.* Parcus nimium eſt *P. Brognolus*, atque acuto prorſus calamo delet magis, quam ſignet quae fuerint a Puero publice diſputanda propoſita. Quot igitur, quantaque, praeter Theologiam, ac Philoſophiam Theſes complecterentur, ex aliis Scriptoribus prodeſt intelligamus. Janus Nicius Erythraeus: (a) *Propoſitis tota Urbe edictis, auſus eſt omnes, qui vellent, & quacumque de re vel-*

(a) *Ibidem.*

vellent in contentionem, certamenque vocare.... Ac ne aliqua conventionis ſuſpicio oriri poſſet, ſimul ac quiſpiam ad diſputandum accederet, EX OMNIBUS OMNIUM ARTIUM DISCIPLINIS ſortito capiebatur qua de re eſſet diſſerendum. Nicolaus Angelus Cafferius: (a) *Jacobum Martinium* [verius *Martinum*] *a Fratre Joanne Baptiſta Mezetto Servita OMNIBUS FERE DOCTRINIS ab infantia ERUDITUM.... ad miraculum doctiſſime DISPUTANTEM audivimus.* Carradorus: (b) *Queſto Putto.... intendeva queſtioni Filoſofichè, Teologiche, MATEMATICHE, ed io ſteſſo gl' inſegnai principii di MEDICINA.* Exterorum, teſtimonia quoque Noſtratium adjiciantur. Scriptor Monumenti VIII. haec de Magiſtro *Jacobi*: *Gli fece tenere con la ſua aſſiſtenza pubbliche Concluſioni DI TUTTE LE SCIENZE.* Scriptor Monumenti II. haec: *Venne.... il P. Maeſtro Gio: Battiſta da Budrio con un Putto d' anni ſette, e meſi quattro in circa per ſoſtenere publica Concluſione DI TUTTE LE SCIENZE dedicata alla*

[a] *Ubi ſupra.* [b] *in Monum. VI.*

Santità di Noſtro Signore Papa Innocenzio X. Sommo Pontefice, e di più il ſuddetto Putto, oltre alle Scienzie Scolaſtiche, cioè la S. TEOLOGIA, FILOSOFIA, FISICA, LEGGE, MEDICINA, e LOGICA, ed ultimamente la GRAMMATICA, delle quali ne ſa render ſtrettiſſimo conto, ec. Quamquam aquam perdo, dum talia congero teſtimonia, cum poſſim Theſes ipſas proferre: Libellum do ad umbilicum hujuſce Apologiae; ipſa ejus frons materiem exhibet diſputationis: *De Scriptura Sacra, & Eccleſia Romana; De Deo: De Chriſto: Ex Metaphyſica; ex Phyſica; ex Medicina; ex Juriſprudentia; ex Logica; ex Grammatica*, & tandem *ex Rhetorica*. Non igitur *Philoſophia*, & *Theologia* tantum diſputationis fines concluſerunt, atque Puer noſter ampliorem menſus eſt campum. An vero *D. THOMAE Philoſophiam*, *ac Theologiam* ſuſceperit defenſandam, non auſim affirmare, nec ſane video quare fidenter adeo id pronuntiet *P. Brognolus*, cum in toto Theſium Libello ne quid ſit, unde id poſſimus divinare. Puerum porro propoſuiſſe *publicas Theſes diſputandas continentes TO-*

TAM

TAM Philoſophiam, ac Theologiam univerſam, ſi *P. Brognolo* do, vereor ne ipſe Theſium Libellus arguat me, ac veluti oſtentatorem traducat; enimvero innumera propemodum ſunt, quæ ab utraque tractantur Facultate, quorum ne lineam quidem in Libello inſpicias Inſtitutionum.

Quas dicavit Sum. Pont. Innocentio X. Ita ſane; una etenim cum Inſtitutionum Libello, egregium quoque Schema ab ipſo *P. M. Joanne Baptiſta Mezetto* excogitatum graphiceque exornatum, miro autem artificio in aere Cyprio inciſum a Bernardino Curto Bononienſi in hac arte excellentiſſimo, eleganti prorſus & ingenioſiſſima Nuncupatione Urbis, & Orbis Moderatori Sanctiſs. INNOCENTIO X. ex Pamphilia Gente, praeſtantiſſimus Magiſter, atque optimus Adoleſcentulus obſequentiſſime conſecrarunt. Schematis porro archetypus in Archivo noſtro S. Marcelli de Urbe inter cariora cuſtoditur, quem ſi ſub oculis habeas, an Inventoris ingenium, an Sculptoris artem magis admirere equidem hæres.

Ut autem ii quibus inviſum eſt Sche-

ma, illud saltem animo cernere possint, ejus descriptionem subteximus. Est itaque Schema longitudinis palmorum quinque, latitudinis vero trium cum dimidio. Ejus latera implent quadrangulae columnae duae ad duos superbe assurgentes mutulos, qui variis exornatum sculpturis sustentant laqueare, cui plurimorum S. R. E. Cardinalium pulchro distincta ordine supereminent insignia, quae epystilium attingentia, atque hinc & inde ad medium usque scapi sensim descendentia, tandem super Thiaras, Infulas, Pallia, Cruces, Baculos Galerosque residentconcinne. Cardinalium insigniis duo succedunt scuta, a dextris unum, in quo haec sculpta verba sunt: MILLE CLYPEI PENDENT EX EA, exque eo multi pendent clypei, Regularium ferme omnium Ordinum stemmata apte ordinateque disposita praeferentes; alterum a sinistris, in quo haec alia sunt caelata verba: OMNIS ARMATURA FORTIUM, & ex eo alii plures discurrunt clypei, gentilitia Ordinum Equestrium in pectoralibus insculpta objicientes, interjectis

rei

rei militaris trophaeis satis commode distributis. Hujusmodi porro clypei omnes basim praetergredientes non modo ad stylobaten, & stereobatas, sed ad extremum usque Schematis umbilicum protenduntur, atque dextrorsum in Eminentissimi Cardinalis Sacchetti Ordinis nostri Protectoris desinunt insignia cum hoc lemmate: FIRMAMENTUM MEUM; siniſtrorsum vero in gentilitia defluunt Religionis nostrae Servorum, quibus insertum stemma est Reverendissimi P. M. Hippoliti Bazani Ferrariensis ejusdem Instituti Generalis, cum hoc lemmate: ET REFUGIUM MEUM. Atque omnia equidem haec in columnarum primis expansis obviis frontibus.

Reliquae vero duae columnarum interiores, & obliquae facies in oblongis scutulis utrinque pendentibus lemniscis, & volitantibus fasciis venuste redimitis, descriptam exque ordine distributam universam exhibent materiem, de qua erat disputandum, nempe: *EX THEOLOGIA. De Deo, & Sacra Scriptura. De Christo, & S. Ecclesia. EX METAPHYSICA. De Ente,*

te, & Essentia. EX PHYSICA. De contentis in octo Libris Physicorum, & Anima. EX ETHICA. De summo Bono in genere, & in specie. EX POLITICA. De fine, subjecto, medio, & speciebus Reipublicae. EX JURE CIVILI. De contentis in quatuor Libris Institutionum. EX MEDICINA. De rebus naturalibus, non naturalibus, & praeternaturalibus. EX LOGICA. De Praedicabilibus, Praedicamentis, Priorum, & Posteriorum Libris. EX RHETORICA. De Inventione, Dispositione, & ornatu Orationis. Et tandem *MISCELLANEA ex variis Disciplinis, & Nationum characteribus.*

Ex laquearis porro, exque columnarum abditis, intimisque recessubus cortina prosilit, cujus duae peramplae latis, flexibiles, lemniscatae, fimbriataeque partes, in quas sensim excrescit, expanditurque, a quatuor Geniis elegantissime sustentantur ad latera. In medio autem laquearis scutum eminet, quod a duobus porrectum Angelis, haec Sacrae Scripturae verba praebet legenda: NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI, NON INTRA-

TRABITIS IN REGNUM CAELORUM. Tum ſtatim in excelſa Schematis parte ampliſſima redimita Thiara, reliquoque regio circumdata ornatu grandia panduntur inſignia Summi Maecenatis INNOCENTII X. ex Pamphilia Gente tribus regalibus contexta liliis, atque columba ramum portante virentis olivae, circumque ea haec appoſite verba ludunt: VENI COLUMBA MEA. ET VENIT PORTANS RAMUM OLIVAE. PAX VOBIS; NOLITE TIMERE. Dehinc ad laevam Mulier illa Apocalypſeos ſtat amicta ſole, coronata ſtellis, lunamque proterens. Ad ſiniſtram vero mirae magnitudinis draco ſeptemgeminus, cauda ſua immani ſtellarum crinitarum multitudinem deturbans e caelo, ſecumque trahens; Mulieri porro, Draconique ſupernae militiae Dux Archangelus Michael ſuperſtat, qui frequenti Angelorum ſtipatus agmine, una cum ipſis conſertis manibus, praelioque commiſſo, Draconem dejicit e Caelo, atque ad infera loca detrudit. Angelorum interea triumpho Urbs obviat Roma, quae caeleſti-

bus coruſca ſplendoribus, qua humeris, qua brachiis ab Angelis ſuſtollitur, cumque ſuper eam lilia, atque olearum ramuſculi tenuiter pluunt, haec veluti e Caelo verba labuntur: GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX; circumque blanda echo reſonat aer: PAX, PAX, PAX. Subtus vero alia haec poſita verba ſunt: ET PORTAE INFERI NON PRAEVALEBUNT. Dextrorſum vero ac ſiniſtrorſum lucidiſſimis nubibus placide innixi duo prodeunt Angeli, quorum unus haec offert legenda: TESTIMONIUM DOMINI FIDELE SAPIENTIAM PRAESTANS PARVULIS. Alter autem haec: ABSCONDISTI HAEC A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS, ET REVELASTI EA PARVULIS.

Mons inde exurgit magnus, quatuor circumdatus totius Orbis partibus; Europa nimirum, & Aſia a dextris; Africa, & America a ſiniſtris; atque hae quidem ſingulae propriis ita ſunt indutae veſtibus, ſuiſque diſtinctae ſymbolis, ut ne quicquam ſuperſit ad

ea-

earum magis magisque exprimendam Iconem. Oculos habent cunctae in Urbem Ecclesiamque (per Apocalypseos Mulieris expressam symbolum) conversos intentosque, ac unaquaeque scutulum manibus tenet varia proferens Sacrae Scripturae insculpta verba. In Europae siquidem: SURGE, ILLUMINARE, JERUSALEM, QUIA AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO. LEVA IN CIRCUITU OCULOS TUOS. In Asiae: OMNES DE SABA VENIENT, AURUM ET THUS DEFERENTES, ET LAUDEM DOMINO ANNUNCIANTES. In Africae: TUNC VIDEBIS, ET AFFLUES, QUANDO FORTITUDO GENTIUM VENERIT TIBI. In Americae tandem Scutulo haec: FILII TUI DE LONGE VENIENT, ET FILIAE TUAE DE LATERE SURGENT. Quatuor hasce Mundi partes cunctae terrarum Orbis circumstant Nationes, hastas cuspidatas in manibus tenentes, ex quarum una parvum vexillum pendet, haec verba objiciendo: UNUM OVI-

LE. Hae porro propriis licet amictae veſtimentis, facilius nihilominus ex litterarum notis, quas veluti in teſſeris impreſſas gerunt, quam ab inſigniis ornamentiſque dignoſci ſecernive poſſunt. Hujuſmodi autem ſunt exoticarum linguarum, qui ibi conſpiciuntur Caracteres: *Graecus*, *Chaldaicus*, *Hebraicus*, *Armenus*, *Scythicus*, *Syriacus*, *Arabicus*, *Turcicus*, *Saracenus*, *Syr-armeniacus*, *Arorabnicus*, *AEgyptiacus*, *Maroniticus*, *Brachmanicus*, *Sabaeus*, *Indicus*, *AEthyopicus*, *Illiricus*.

His ſuccedit Puer noſter *Jacobus Martinus Modaneſius* ad vivum expreſſus, vultuſque & oris lineamentis quamſimillimus, licet contracte, imagini illi, quae paulo poſt celebrem diſputationem Bononiae venibat. Haec eadem rariſſima Pueri imago de aere Cyprio Bononiae ducta, & a me diu conquaeſita, tandem ſingulari Clariſſimi Golinellii rerum Butrienſium ſcriptoris eruditiſſimi liberalitate, ad manus meas pervenit. At cum eam pene conſumptam cernerem, ne omnino periret, ad hujus archetypum ut denuo ſollerter efformaretur, curavi; eaque

eſt, quae in fronte hujus Opellae conſpiciendam ſe praebet. In Concluſionum itaque ſchemate Puer *Jacobus* librorum ſtrue innititur, ſuperque eos genua flectit, apertumque librum habet ad pedes, cujus utramque expanſam haec verba implent paginam: *Laudate pueri Dominum, quia initium Sapientiae eſt timor Domini. Haec eſt vera Sapientia noſſe te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum*: propiuſque Puerum haec alia verba conſiſtunt: NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS. Circumſtat porro *Jacobum* noſtrum, eumque comitatur lectiſſimorum puerorum elegans agmen, qui omnes in libros blande incumbentes ipſiſque genu nixi, cum cuncti pariter in Eccleſiam & oculos, & ora teneant intentos, eam intime venerari videntur, atque ab ea poſtulare, praeſtolarique Sapientiam. Qui vero puerorum poſtremus claudit agmen, dextera manu gentilitium gerit *P. M. Mezetti* ſtemma, in cujus ſuperiori parte: SITIVIT ANIMA MEA; in inferiori vero inſculptum eſt: SITIO. Poſt quae ſtatim ſive in tabella, ſive in chartula haec minoribus legun-

tur expressa characteribus: *Ad intelligentiam delibatam discutientur publice Romae diebus Pentecostes, & Sanctissimae Trinitatis 1647. prout explicite in libro Thesium.* Quem nos quidem librum damus in Appandice,

Imam denique Schematis partem grande implet linteamen molliter sinuosum, flexumque, venusteque fimbriatum, & undans & fluens, quod a tribus Geniis qua contractum, qua opportune expansum Nuncupationem continet Thesium Sanctissimo Maecenati INNOCENTIO X. atque explicationem pariter illorum, quae in Schemate reconduntur arcanorum, quae quidem vel fusius dilucidat *P. Mezettus* in Institutionum Libello, cujus nuper memini, & ad quem remitto Lectorem.

At post ab re longiusculam digressionem, ad causam tamen quam tractamus congrue pertinentem, ad *Patrem Brognolum* revertamur, qui ita prosequitur: *Has Conclusiones publice defendit in Ecclesia MINERVAE.* Aut fidem fallit *Brognolus*, se Romae degentem asserens, quando disputationis

nis periculum habitum est: *Romae dum ibi commorarer;* aut situs forte toto corpore erat; mente certe, animoque alio vagabatur, cum scribebat: *Has Conclusiones publice defendit in Ecclesia MINERVAE*; id enim factum *in Ecclesia S. MARCELLI* concinit omnis externorum, nostratiumque Scriptorum chorus. Erythraeus: (*a*) *Locum pugnae AEDEM D. MARCELLI in via lata constituit.* Cafferius: (*b*) *Jacobum Martinium .. doctissime disputantem... publice... audivimus in templo S. MARCELLI.* Atque alibi: *Romae disputavit ad S. MARCELLUM Servorum B. M.* Auctor Elogii infra dandi: *IN AEDIBUS D. MARCELLI.* Auctor Monumenti VIII. *NELLA NOSTRA CHIESA DI S. MARCELLO gli fece tenere colla sua assistenza pubbliche Conclusioni.* Auctor Monumenti II. *furono sostenute pubbliche Conclusioni in CHIESA NOSTRA da Jacomino Martino Modanese.* Atq; cunctos quidem Scriptores hosce aequam bonamq; habere causam, ipse quodammodo clamitat Thesium Libellus, in fronte fe-

[a] *Loc. cit.* (b) *Loc. cit.*

ferens: *Et exponente publico certamini, atque disceptationi ... Romae apud S. Marcellum*. Quare, si *testis, dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adjiciat, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat*, ut belle inquit Ambrosius; (*a*) totam nutare *P. Brognoli* fidem consequens est, cum non modo narrationi multum adjiciat ex suo, verum & male suta errata in ea nobis obtrudat. Ast oculati satis sumus emptores, queis haud facile possit *Brognolus* pro faculis venditare noctilucas. Interim *Brognolum* paulisper dimittamus, ut si forte possumus, laudatorum hactenus Scriptorum nostrorum diffidium, in re ceteroquin exigui momenti, inter ipsos componamus.

Uno sane calamo scribunt Auctores, celebrem a Puero nostro Romae habitam disputationem ann. MDCXLVII. solemni recurrente Pentecostes Festo, quod quidem eo anno non in diem incidit XVII. Maii, ut memoria lapsus, scripsit Cafferius (*b*), bene vero in diem IX. Junii, ut ex littera apparet Domi-

[a] *Relat. in cap.* pura 3. *Qu.* 9. *Cap.* 17.
[b] *Loco citato.*

Dominicali ad calculum reducta, utque diserte tradit Auctor Monumenti II. *A' DI' NOVE, DOMENICA, GIORNO DI PASQUA ROSATA* ec. *IL SUDDETTO GIORNO furono sostenute pubbliche Conclusioni in Chiesa nostra da Jacomino Martino Modanese, Discepolo del P. M. Gio: Battista Mezzetti da Budrio* ec. An vero una tantum ipsaque celeberrima Pentecostes dies, Junii undecima, disputationi finem metamque imposuerit; an adhuc proxime sequentibus Pentecostes festis diebus, quin forte etiam Trinitatis die recurrente Dominica resumptum certamen iteratumque fuerit: id est in quo sententiis discrepant Auctores: DIEM IPSIUS PUGNAE, scribit Erythraeus, FESTUM PENTECOSTES INSTITUIT. Et paulo post: *HUJUS DIEI plausus* &c. *Anno Christi MDCXLVII*, scribit Caffarius, *Jacobum Martinum . . . a F. Joanne Baptista Mezetto Servita omnibus fere doctrinis ab infantia eruditum . . . ad miraculum doctissime disputantem, privatim saepe, ac demum publice die PENTECOSTES Romae audivimus.* Imo in

ipso

ipſo Inſtitutionum Libro haec legimus: *Exponente publico examini .... DIE PENTECOSTES*. At ſi unam tantum hi Auctores tribuunt certamini diem; ternis quaterniſve diebus alii faciunt iteratum .. Scriptor Monumenti VII. *Il giorno della Pentecoſte*, *E DUE SEGUENTI*. Scriptor Monumenti VIII. *Gli fece tenere*, loquitur de Magiſtro Pueri, *con la ſua aſſiſtenza publiche Concluſioni di tutte le ſcienze LE TRE FESTE DELLA PENTECOSTE*. Auctor Elogii, quod infra daturi ſumus: *Scientias Romae certamini publico expoſitas TRIBUS DIEBUS*. Atque tandem in Schemate, de quo ſupra dictum eſt, haec legimus: *Diſcutientur publice Romae DIEBUS PENTECOSTES, ET SS. TRINITATIS*.

Quoniam vero alterutri Auctorum ſententiae ſubſcribendum eſt, in illorum deſcendo, qui pugnam ajunt unius diei ſpatio concluſam. Sunt enim oculati teſtes, qui id tradunt; auriti autem dumtaxat, qui in alios quoque dies pugnam extendunt. Porro, ut venuſte Plautus, (*a*) *pluris eſt oculatus teſtis*

[a] *Truc.* 2. 6. 8.

ſtis unus, quam auriti decem: qui audiunt, audita dicunt; qui vident, plane ſciunt. Nec mihi ſane negotium faceſſunt verba, quae in Theſium ſchemate modo dedimus: *Diſcutientur publice Romae DIEBUS PENTECOSTES, ET SS. TRINITATIS*; pluris enim habeo verba item mox data ex Inſtitutionum Libello: *Exponente publico certamini... DIE PENTECOSTES*; Inſtitutionum quippe Libellus *Romae* poſt *Patris Mezetti* ad Urbem adventum, cuſus eſt; Schema vero inciſum *Bononiae* ante ſuſceptum iter. Satis autem veriſimile credam *P. Mezetto* Bononiae Schemati incumbenti in animo quidem fuiſſe, diſputationem in Urbe in plures dies extendere, atque id in Schemate expreſſum; verum jam *Romae* degenti quidpiam cauſae fuiſſe, cur mutata ſententia, rem totam una die vellet confectam, idque in Libello poſitum Inſtitutionum. Si vero aliquam ad componenda aliorum Auctorum teſtimonia inire velimus viam, hanc vel nobis praemonſtrat Caſſerius: *Jacobum Martinum.... doctiſſime diſputantem, PRIVATIM SAEPE, ac demum PUBLICE AUDIVIMUS*:

MUS. Atque Auctor pariter Monumenti II. *E per queſto la noſtra Chieſa, e Convento HA GRANDISSIMO CONCORSO*; frequens nimirum erat ad aedem S. Marcelli Virorum, praeſertim litteratorum, concurſus, quibus diebus a Puero diſputabatur. Itaque ſemel publice, nempe die Pentecoſtes, privatim vero ſaepe, ſubſequentibus ſcilicet aliis diebus diſputavit. Et profecto id rei novitas poſtulare videbatur, ut non ſemel, ſed tertio, atque iterum in litterarium periculum adduceretur Adoleſcentulus, ſi quantum ingenio ac doctrina valeret, erat dignoſcendum. Ut ut res eſt; ſi inter ſe diſcrepant Scriptores noſtri, in minimis diſcrepant. Quid vero mirum? *Vix enim reperias quemquam, qui non in aliquo erraverit*, inquit doctiſſimus Melchior Canus de Hiſtoricis agens (*a*). In eo tamen, quod rei totius caput & ſumma eſt, mirifice conveniunt laudati Auctores, quod ſatis ſuperque nobis eſt. Sed jam ad propoſitum noſtrum revertamur, quaeque praeterea ſcripſerit *P. Brognolus* pergamus examinare.

Prae-

(*a*) *De Locis Theolog. lib.* 11. *cap. ult.*

Praesentibus multis Cardinalibus, Episcopis, Praelatis, Theologis, Religiosis, ac cujuslibet conditionis ac status hominibus, qui omnes hujusmodi Puerum, ut prodigiosum admirabantur. Gratia Superis est! rem hic tangit *Brognolus*, id summatim narrans, quod paulo fusius probatissimi Scriptores prosequuntur. Horum agmen ducit Erythraeus, qui totius Disputationis solemnitatem eleganter exponit his verbis: *Quicumque periculum faciunt in Theologicis, in Philosophicis, aliisque liberalissimis litteris, iis se eorum, quae scire aequum est, eum qui eas artes profitetur, sollertissimum exhibet, neque quisquam est in capiendo adversario ita versutus, qui eundem in aliquos fallacis cujuspiam argumentationis laqueos inducat. Omnes ille sedes, & tamquam domicilia quarumcumque argumentationum novit. Ille ea verbis definit, ille exemplis illustrat. Sex ab hinc mensibus venit in Urbem; continuo fama ejus adventus exivit, ac pervenit ad doctissimos Viros. Dedit operam unusquisque, ac P. in primis Sforția Pallavicinus, ut eum nosceret, aspiceret, quidque in litteris posset, experiretur. Neque solum inventus*

est

eſt opinioni, quae de ipſo erat, reſpondere, ſed ſuperior etiam exiſtere . . . voluit etiam (cujus cauſa Romam aceeſſerat) aliquod peculiare ſuae facultatis ſpecimen dare. Quamobrem propoſitis tota Urbe edictis, auſus eſt, omnes, qui vellent, & quacumque de re vellent in contentionem certamenque vocare, ac locum pugnae aedem D. Marcelli in via lata, ac diem ipſius pugnae feſtum Pentecoſtes conſtituit; qui dies cum jam adveniſſet, tum licuit videre populi Romani univerſi erga Puerum illum ſtudium, *qui nihil ſibi eſſe faciendum prius exiſtimavit, quam ut Puerum ſeptennem videret*, cum doctiſſimis Viris in litterario certamine compoſitum, *quae ab ipſis objicerentur quaſi tela retundere atque rejicere. Ac ne aliqua conventionis ſuſpicio oriri poſſet, ſimul ac quisquam ad diſputandum accederet ex omnium Artium Diſciplinis ſortito capiebatur qua de re eſſet diſſerendum. Itaque* tanti ad eum omnis generis, aetatis, atque ordinis hominum concurſus facti ſunt, ut iis non modo aedes D. Marcelli, *quae ſatis ampla eſt*, verum etiam viae aedi proximae complerentur; *neque illis, qui paulo ſe-*

lo ſerius veniſſent, quidquam eſſet difficilius, quam cubito, humero ac toto corporis impetu ſibi aditum in aedem facere; adeo ut Cardinales non pauci parafrenariis, & aulicis ſuis ſtipati cum conarentur in confertam turbam ſe immergere, nec poſſent, cogerentur conatu deſiſtere, ac domum ſele recipere. Hactenus Erythraeus (*a*). Erythraeum ſequitur Caſſerius: *Anno Chriſti* 1647. *Jacobum Martinium... a F. Joanne Baptiſta Mezetto Servita omnibus fere doctrinis ab infantia eruditum per triennium, in in Theologicis Philoſophiciſque, & aliis liberalibus litteris*, ad miraculum doctiſſime diſputantem *privatim ſaepe, ac demum publice, die Penteceſtes Romae audivimus in Templo S. Marcelli, vix ſeptimum aetatis annum egreſſum &c.* Et alibi (*b*) ait: *Anno* 1647. miraculi loco *habitus Jacobus Martini Mutina oriundus, qui ſeptennis Puer*, per omnes Facultа-

[a] Erythraeus *loco citato, qui ubi ſcribit:* ſex ab hinc menſibus, *rectius dixiſſet*: quatuor *ab hinc menſibus*; *nam venit Puer in Urbem die ſexta Aprilis, ut ex Monumento II;* Erythraeus *vero ſcribebat* quinto *Idus* Auguſti.

[b] Caſſerius, *ubi ſupra, nempe Pag.* 141.

cultates publice Romae disputavit *ad S. Marcellum Servorum B. M., Religioso Joanne Baptista Mezetto, qui illius dicebatur fuisse Magister, assistente*. Cafferio succedunt duo clarissimi Scriptores Galli, quorum verba reddenda latine non curavimus, sed ut scripta sunt Gallice damus, moniti ab Hieronymo, (a) *quod arduum est, ut quae aliena lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conservent*. Unus est Illustrissimus Antonius Godeau Episcopus Vencienſis, qui haec scribit: (b) *Rome vient de voir une merveille encore plus estonnante en cet Enfant . . . le quel y a respondu sur toutes les Sciences avec une clarté d' esprit, & une memoire si prodigieuse, qu' on a crû qu' il y avoit du miracle, ou du sortilege* &c. Alter est eruditissimus Hadrianus Baillet, qui licet censor severus, vulgatis quibusdam sententiis haud facile subscripserit, haec tamen ex laudato Godeau fidenter profert: (c) *Celuy d' un autre Enfant Italien, dont on n' a point jugé a propos de nous*

(a) *Praefat. in Euseb. Chron.* [b] *Histoire de l'Eglise, Siecl. 2. livr. 2.* [c] *Des Enfans devenues celebres &c. chap. 86. § 5*

nous faire connoître le nom, nous fait encore moins peur. Je me contenterai de vous repeter a ſon ſujet une partie de ce qui en a eſté rapporté au chapitre du Prejugé touchant l' age des Auteurs, ſur la foi de M. Godeau Evêque de Vence qui etoit contemporain de l' Enfant. Ce Prélat en a parlé comme d' un fait tout recent, lorſque il ecrivoit ſon Hiſtoire Eccleſiaſtique. Il temoigne, que la Ville de Rome n' étoit pas encore revenûe de l' étonnement ou elle avoit été d' entendre cet Enfant... a y repondre ſur toutes les Sciences, avec une clarté d' eſprit, & une memoire ſi prodigieuſe, qu' on a cru qu' il y avoit du miracle, ou du ſortilege, &c. Exteris noſtri accedunt domeſtici Scriptores; & quidem Auctor Elogii haec habet: *P. Magiſter Joannes Baptiſta Mezettus... Scientias parvulo ſeptenni tanta facilitate dictavit, ut Romae certamini publico expoſitas...* nova Urbis, & Orbis admiratione probaverit. Auctor Monumenti VII. *L' azione riuſcì* così famoſa, che correndo tutta Roma *per ſentire il Fanciullo, ſi fece tumulto in S. Marcello*, ed i Cardinali medeſimi ambivano d'udirlo. *Fra gl' altri Soggetti eminenti, che*

gl'

gl'argumentarono contro, uno fu il Padre Sforza Pallavicini, che l'anno 1667. morì Cardinale. Et circa finem ait: *Giacomo Modaneſi, che nella ſua fanciullezza* aveva fatta ſtupire Roma, anzi tutta l'Italia. Auctor Monumenti V. *Jacomino Martini....* Putto, *quaſi diſſi*, miracoloſo, che ſoſtenne in pubblica Roma diverſe Concluſioni con l'aſſiſtenza d'undici Cardinali, con l'intervento di molti Prelati e Perſonaggi di garbo, come è noto a tutto il Mondo. Auctor Monumenti VI. *Il detto Padre*, nempe Mezettus, *ſpiegò l'ali del deſiderio, e fece ſentire in* Roma alla preſenza di tutta la Corte *Concluſioni difeſe dal detto Putto in età d'anni ſette, e dedicate alla Santità di Papa Innocenzo X. allora regnante....* Riuſcì grata la funzione a tutta Roma, *ma più all' Eminentiſſimo Cardinale Gio: Battiſta Pallotta, che ſi dichiarò Protettore del Putto, e levò alla Creſima &c.* Auctor Monumenti II. *Adì 9*, Menſis nempe Junii 1647, *Domenica giorno di Paſqua Roſata.... furono ſoſtenute publiche Concluſioni in Chieſa noſtra da Jacomino Martino Modaneſe, Diſcepolo del P. M. Gio. Battiſta Mezzetti da Budrio*

drio con grand' applauso di undici Eminentissimi, che v' intervennero, senza specificare la quantità de' Prelati, che ve ne furono, ed altri tornarono indietro con il Signore Cardinal Lanti Decano, quale non potè aver l' ingresso per la moltitudine di popolo, che circondavano il Convento, e Chiesa da tutte le parti; *e parte l' amore, e l' applauso del Putto di sett' anni, e mesi sei* lo confessò Roma medesima, ed il Mondo tutto ne sia testimonio, *essendo le cose tanto chiare, e manifeste, che resteranno impresse finchè dureranno questi secoli*. Inter ipsam porro Disputationem, quae *sortito* facta est, ut scribit Erythraeus, seu argumentandi *dato cuique loco*, ut in Inscriptione legimus Libelli Institutionum, duo cum suis Distichis Anagrammata refertissimo, amplissimoque consessui distributa sunt, quae accurate in memoriis historicis Butrii Patriae suae, ab erudito Viro Doctore Golinello inserta (*a*), nos quoque hic censuimus describenda.

[*a*] *Cap.* 10.

I.

JOANNES BAPTISTA MEZETTUS A BUTRIO ORDINIS SERVORUM PUERI JACOBI MARTINI MAGISTER.

Anagramma Echo respondente.

En subito is—is sua, & magna eruditione pariet-
Pariet (*zinn*) Monstrum Scientiarum Orbi.

Distichon.

Omen erat: pariet Monstrum Mezettus; id omen
Verum, nam peperit, totaque Roma stupet.

II.

JACOBUS MARTINUS MODANESIUS SEPTEM ANNORUM GENERE MUTINENSIS.

Anagrama purum.

Primus ortus minimus bene ſuperat magna
Doctrina Juvenes Senes omnes.

Diſtichon.

Non ſeptèm, numeres octo miracula Roma,
Dum ſuperat Juvenes, & Puer iſte Senes.

R. P. Joanni Baptiſtae Mezetto B. M. V. Servo, ejuſque Diſcipulo Jacobo Martino Modaneſio admirabilis ingenii Puero, Carolus a S. Antonio Patavino, Scholarum Piarum, ejuſdemque Dei Matris pauper haec Anagrammata cum Diſtichis offert.

Romae apud Franciſcum Caballum MDCXLVII. Superiorum permiſſu.

Atque de celebri disputatione, deque Pueri ad miraculum disputantis triumpho jam satis. Quid Disputationem post venerit narrat *Brognolus;* sin vere, modo aperiemus. *Post quarum defensionem, multis a Cardinalibus donariis acceptis, una cum suo Magistro e Roma honorifice discessit.* Puerum cum Magistro ab Urbe Roma honorifice discessisse, *Patri Brognolo* libens, lubensque permitto; cumulatum vero *multis donariis* (quod erat maxime optandum, optimo etiam jure sperandum) non possum quin recusem vehementer. Recusat id sane, refellitque Erythraeus his verbis: *Hujus diei PLAUSUS FUIT PUERO ILLI MERCES LABORUM, STUDIORUMQUE SUORUM; etenim non ita multos post dies circumfluens laudibus, SED INANIS A PRAEMIO (ut scias quantus hic virtuti sit honos) Bononiam versus Roma discessit, una cum suo Magistro &c.* Recusat id ipsum, rejicitque Carradorus: *L' intaglio in Roma di dette Conclusioni COSTO' al P. Maestro* 300. *DUCATONI, cioè Lire* 1500. (Bononienses nempe, quarum singula est duobus Juliis) *e sperando trarre dal-*

la

la munificenza del Sommo Pontefice emolumenti notabili, restò ingannato. Atque si rem etiam ex eventu aestimare velimus: integro nondum elapso anno a discessu ab Urbe, optimo Adolescentulo Habitum nostrum praecupiente, ut solemni dein Professione statuto tempore Ordini nomen daret, Eminentissimus Cardinalis Julius Sacchettus, tunc quidem Ordinis nostri Protector, per litteras datas die XXX. Maii anno MDCXLVIII, quas in Appendice exhibemus, Patres Conventus nostri Servorum Bononiae postulavit, *a contentarsi DI MEZZA DOZZENA L'ANNO IN RIGUARDO DELLA SUA POVERTA', che congiunta all' abilità propria lo rende degno di qualche distinzione dagli altri:* quod argumento est, non *multis donariis* oneratum, quin vacuum, & inanem Puerum cum Magistro suo ab Urbe recessisse, & quidem post ingentes in itinera, in Typographum, in Caelatorem, in Schema sumptus impensos, ne quid de vigiliis dicam, de incommodis, deque improbo labore.

Non me sane latet multum, diuque

fama cantitatum, idque plerisque persuasum, *Franciscum Jacobi nostri Patrem*, in Filii gratiam, ab eleemosynis S. Domui Lauretanae fuisse constitutum, ut ex hujusmodi muneris lucro propriae provideret inopiae, atque Filio consuleret, ficque studio, & scientiis commodius, uberiusque incumberet. Hoc autem, quemadmodum asserere, ita negare non ausim. Cum etenim, ut ingenue dicam, rei indagandae curiosus, volvendum curarim Librum Ministrorum ejusdem S. Domus per id tempus mercede conductorum, atque item Librum Defunctorum: id ex litteris Amicorum, qui morem humanissime gesserunt, intelligo: in eis quidem Libris *Francisci nostri Modanesii* nomen neutiquam reperiri; in Defunctorum tamen Codicibus legi sub die XV. Julii MDCLVII: *Franciscus Maria Modanesius Filius Francisci Modanesii Eleemosinarii S. Domus, aetatis annorum duorum.* Atque item sub die IV. Augusti MDCLX: *Franciscus Maria Rochus filius Francisci Modanesii aetatis duorum annorum.* Quare id, credo, hac in re sentire licet quod libet. Ado-

le-

lescentulum sane nostrum, post discessum ab Urbe, inopem vidimus, iterumque videbimus infra. Non itaque Parens ejus mutavit fortunam, si quod in Sacra Lauretana Domo munus est umquam consecutus, vel saltem non statim. Age nunc, amice Lector, & quibus ipse *P. Brognolus* muneribus Puerum compleat in via, quem *multis donariis* abeuntem ab Urbe significavit, quaeso inspice.

At cum Lauretum (Puer noster) *perveniisset, & quidam Praelati in magnam Ecclesiam Lauretanam eum adduxissent, observarunt, quod nec aqua benedicta frontem abstersit, nec signo Crucis Christianorum more se munivit; ac tandem dum in Sanctissimam Aediculam B. V. introducere vellent, illico Daemon illum se possidentem prodidit, voces clamorosas emittendo.* Haec nimirum munera sunt, quae Puer egressus ex Urbe *multis donariis a Cardinalibus acceptis*, per viam accepit a *P. Brognolo*. Verum quot verba, tot falsa. Te proinde oro, obtestorque Deum Augustini verbis: (a) *Deus*

(a) *Lib.* 12. *Confessionum. Cap.* 25.

meus, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, ... qui sententiam amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. Ni enim me Superi juvent, forte liberius calamus excurret, atque jam vim vi repellet, & superabit. Fallitur, vel certe comminiscitur *P. Brognolus*. In primisque vel ad ipsum limen offendit; neque enim *Lauretum* potuit pervenire, qui Roma discedens cum Magistro suo non Flaminiam, sed Cassiam viam iniit post celeberrimam disputationem, atque Viterbium prius, deinde Florentiam petiit, tandemque Bononiam. Hujus itineris duo firmissima testimonia exhibeo, quae profecto rem hanc evincunt; Monumenta scilicet num. III. & IV. in Appendice reposita: primum enim, Magistrum cum Alumno Viterbium *a' dì* 10. *Luglio*, alterum vero *a' dì* 15 *Luglio* 1647 Florentiam pervenisse produnt. Et etiam suum album adjicit calculum Erythræus, dum scribit *Roma discessit ... Ajunt eum in itinere Florentiae PAULUM CONSTITISSE, & a Mediceis illis Principibus tum perhumaniter exceptum, muneribus amplissimis locupletatum.*

Sed

Sed age, demus etiam *Lauretum* perveniſſe, atque ad Aedem adductum Sacratiſſimam. Quid, quaeſo, eſt cur *P. Brognolus* conſtanter adeo, atque fidenter pronuntiet, quod Puer *nec aqua benedicta frontem abſterſit, nec Signo Crucis Chriſtianorum more ſe munivit?* An vero *Brognolus* ipſe ſuiſmet oculis vidit? Aſt *Romae* degebat, non *Laureti: Romae.... dum ibi commorarer.* An forte a Viris reſcivit probatiſſimis? Aſt nullum profert. Quid eſt, quid, iterum precor, eſt cur audacter aſſerat: *ac tandem dum in SS. Aediculam BB. V. introducere vellent, illico daemon illum ſe poſſidentem prodidit, voces clamoroſas emittendo?* Ubi monumenta, ubi tabulae, ſponſores, teſtes ubi ſunt? Adducat, proferat, alleget. Praelatos dat; Praelatos! Quidni igitur eos nomine dignat? Sed qui eos nominaret, qui nuſquam nati ſunt? Cacodaemonem producit in ſcenam. Cacodaemonem! Quidni ergo recenſet & ſpectatores? Sed qui eos recenſeret, qui *Lauretum* nec ex limine ſalutarunt? Clamoroſas exhibet voces. Voces! Quidni etiam perterrefactam commemorat

turbam? Sed qui turbam commemoraret, quae nil umquam tale de Puero noſtro auribus accepit? Miram mehercule hominis confidentiam! Deos abſentes, ut in veteri proverbio eſt, teſtes adhibet, atque ipſe ſibi teſtis, & judex cauſam agit, inque Viros innocentiſſimos praecipitem, verius nocentiſſimam jaculatur ſententiam.

Tametſi ad rem cominus venio, atque *P. Brognolum* etiam, atque etiam perſtringo. Verum enim vero ſi Puer noſter, conſentiente quidem *P. Mezetio*, quinimo id ſuadente, & procurante, nequiſſimum cum Cacodaemone inivit commercium, atque ſub tanto Magiſtro ad ſummam evaſit Scientiam, ſpectaculum Urbi factus, & Orbi: quorſum, amabo, quorſum *P.* ipſe *Mezetius*, ut Puerum edoceret, imbueret, inſtrueret, nulli pepercit labori, omni incubuit niſu, inquietos dies, noctesque egit inſomnes, novam expeditamque methodum in Diſciplinis tradendis excogitavit, verbera, atque etiam pejora intentavit, ſi quando Puer litteris remiſſius incumberet, quidquid demum amantiſſimi, & quantum vix cre-

credi poteſt, ſolertiſſimi Magiſtri eſt, non implevit modo, ſed longe, multumque fuit ſupergreſſus? An forte putavit *P. Mezettus* non ſatis Puero eſſe, quam in ipſum Daemon ſcientiam infunderet? An verius credidit, aut ſua ſe poſſe doctrina Daemonis doctrinam ſuperare, aut egregiam ſe prae Daemone habere methodum Pueri educendi? Apage nugas. Sed quid, ſi hunc ipſum immanem *P. Mezetti* laborem in inſtillandis Puero Diſciplinis, aut P. *Brognolus*, aut alius neget quiſpiam? Continuo teſtes oculatos, auritoſque adhibebo, & quam vere id aſſeruerim ego, quam injurie id negaretur a quopiam, convincam. Sit primus Auctor Monumenti VIII. *Il P. Maeſtro Gio: Battiſta Mezzetti, dopo eſſere ſtato Maeſtro di ſtudio, e Baccelliere di Convento in queſta Città*, nempe Bononiae, *dimoſtrò il ſuo ſapere in ampliſſimo Teatro; poichè del MDCXLIII. cominciò ad iſtruire PER PURA CARITA' nelle lettere, E NEL TIMORE DI DIO un Fanciullo di pochi anni detto Giacomino Modaneſi, figlio d' un povero Garzolaro abitante in Budrio, e l' ammaeſtrò CON*

TANTA PAZIENZA, STUDIO, ASSIDUITA' E FATICA DI GIORNO, E DI NOTTE, COME IO, CHE REGISTRO QUESTE MEMORIE SONO IN PARTE TESTIMONIO DI VISTA &c. Sit alter saepe memoratus Auctor Monumenti VII. QUALE S'ERA TANTO AFFATICATO, de Magistro scribit, *per insegnarli le Scienze, e lingue diverse &c.* Tertius sit Carradorus: *Giacomo..... era Puttino d' aspetto onorato, e d'indole sincera; alla costui educazione, e profitto nelle Lettere S' APPLICO' CON TAL ARDORE IL DETTO PADRE*, scilicet *Mezettus, CHE NON DORMIVA, NE' ALTRO MEDITAVA, che addottrinar questo Putto, il quale nello spazio di due anni apprese la lingua latina sì, che parlava, e rispondeva senza errore: leggeva Greco, e altri idiomi; intendeva questioni Filosofiche, Teologiche, Matematiche, ED IO STESSO GL' INSEGNAI PRINCIPJ DI MEDICINA.* An ne dicendum probum hunc quoque Virum Carradorum Daemonis usum ministerio in tradendis Puero elementis? *Licenziato il Putto*, subdit post pau-

pauca laudatus Carradorus, *e il P. Maestro dal Cardinale, ritornò a Budrio, E DATOSI CON MAGGIOR ARDORE DI PRIMA A COLTIVARE L' INTELLETTO DEL PUTTO con intenzione di ritornare a Roma &c.* Sit quartus Janus Nicius Erythraeus, qui eleganter more suo rem descripsit, methodumque exposuit adhibitam a P. *Mezetto* ad Puerum erudiendum: *Postremo id quod mortales omnes ad incredibilem admirationem effert, nostros ad se oculos Puer annos natus non amplius septem attraxit, cui nomen est Jacobus Martinus Modanesius .... Missae Sacrificium faciebat, & fortasse Parochi partes agebat in eo Pago Frater quidam Joannes Baptista Mezettus Servita, qui Pueri, ae pene infantis ingenium odoratus, EX MEMORIA, QUA TRADITA SIBI OMNIA TENACITER COMPREHENDEBAT, & quia suis eum imperiis obsequentem habebat, maximam in spem venit, posse se in illa quamvis infirmissima aetate quoddam quasi aedificium ex omnium doctrinarum aggregatione conflatum, excitare; memor fortasse Chrysippi, qui primum aetatis in Puero tem-*

pus,

pus, etiam triennium illud, quod nutricibus datur, dixit aptum ad Doctrinarum institutionem, neque verendum esse, ne earum intelligentiam capere, nec discendi laborem ferre posset vix e gremio parentis egressus. Itaque coepit pene infantis mentem optimis Disciplinis informare; & quod incredibile, ac nisi experientia rem ita se habere doceret, stultum, & ineptum aggressu videatur tantae molis initium, non a rebus minimis, ut mos est, sed ab omnium maximis, atque gravissimis fecit, nimirum a Sacris Litteris, & a regina disciplinarum omnium Theologia, ac deinceps ad reliquas progressus est Artes, hoc pacto. Docebat illum prius ejus quam tradebat Artis vim definitione explicare, videlicet quid sit Theologia, quid Philosophia, quid Ars medendi, quid Juris Scientia, quid Rhetorica, quid Grammatica: nam in omnibus hisce doctrinis excultissimum eum CONATUS EST reddere. Deinde jubebat addiscere, quaenam sit illis subjecta materia, quam tractant, & in qua versentur: tum quanam earum unaquaeque ratione, & forma tractetur. Postremo docebat unamquamque Artem in partes tribuere, earumque

que nomina, & definitiones assignare; atque inde occasione sumpta, praecipua eidem rerum capita, quae in singulis Disciplinis in disceptationem, disputationemque vocantur proponebat, suamque de illis sententiam aperiebat, quam ille acceptam, INGENII QUO PRAESTABAT ACUMINE, adversus quoscumque, qui vellent eam oppugnare tuebatur. Sed audi rem miram: tradebantur illi ea omnia a Magistro latino sermone, AC PENITUS IN MEMORIA DEFIGEBANTUR. Quid ergo? Illud etiam assecutus est Puer, ut usum, consuetudinemque latini sermonis consequeretur antea, quam praecepta latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, accipsret. Itaque verba effert, quae nemo reprehendat, eaque casibus, & temporibus, & genere, numeroque conservat. Quid opus est verbis? Vix triennium intercesserat a prima Fratris illius Servitae institutione, cum tantam vim doctrinae, & eruditionis assecutus esse visus sit, ut nihil sit circumquaque elegantissimarum Artium adeo constructum, atque reconditum, quod non illius intelligentiam funditus pateat. Hanc ab Erythraeo descriptam metho-

dum

dum in tradendis Puero Disciplinis, quam *novam* dicit, nec immerito P. ipse *Mezettus* in Thesium expositione; (a) admirandam sane habuit Hadrianus Baillet, quare & lepide scripsit: (b) *Ajoutons pour continuer l'histoire de l'Enfant, qu'il avoit eu pour Maître un Religieux Servite, qui l'avoit instruit dès son enfance. Il falloit que cet homme fût admirable, si non dans toutes les Sciences, au moins dans l'artifice qu'il avoit trouvè, pour faire si bien jouer cette machine.... Car soit que ce fût une Divinitè Poëtique, qu'il eût introduite sur le Théatre de Rome, pour donner de la possibilitè à ce qui paroissoit au-dessus de la Nature dans l'Enfant, soit que ce fût un assemblage de plusieurs instructions artistement disposées pour faire agir les facultés ou les forces mouvantes de l'esprit de cet Enfant, s'il m'est permis d'employer ces expressions.* Hactenus a me adductis testimoniis haud addere non possum, tanta non numquam *P. Mezettum* indignatione commotum, si quando segnior ad laborem, studiumve Puer videretur, ut

eum

[a] *Praefat. Romano Lectori Lib. Institut. praefixa.* [b] *Des Enfans celebres &c. chap.* 86 §. 5.

eum minitaretur arreptum projicere e feneſtra: Quod mihi quidem Vir dignitate, & moribus ſpectatiſſimus affirmavit ſacramento, ſaepe ſibi dictum a Religioſo quodam Ordinis noſtri ſatis longaevo, qui una cum *Puero Modaneſio* ſub *P. Mezetti* diſciplina ſcientiis operam navarat. Quae cum ita ſint, modo clavum repercutiamus, ore exclamantes hiante. Oh perditam ſane *P. Mezetti* ſolertiam; oh male adhibitam curam, diligentiam, laborem, methodum in erudiendo Puero, quem ab ipſo noverat Daemone apprime eruditum!

Praeterea ſi Daemonis fuiſſet magiſterio, commercio, ope, auxilio uſus *P. Mezettus* in Diſciplinis Puero tradendis; eſſet ne ipſe *P. Mezettus* in Theſium Praefatione ultro citroque profeſſus ſe Scientias docuiſſe Puerum ad normam rectamque Concilii Lateranenſis regulam? (*a*) Si quid Puer profeciſſet, *id favente Deo* factum in eadem Praefatione ſcripſiſſet *P. Mezettus*? Vere Scientiae ſtatuiſſet finem eſſe *virtutem chri-*

(*a*) Lege *Verba Concil. Lateran. V. ſub Lege X. Seſſ. VIII.*

christianam, cui reliquus omnis pugnat, ut aequum est Scientiarum exercitus? Ampliſſimo Moecenati ſuo Papae Sanctiſſimo felix ne, fauſtumque illud omen feciſſet in Nuncupatione? *Tota tibi triumphet Eccleſia . . . Faxit Deus, ut in Eccleſia ſua laus haec maxime perficiatur, & ab ortu ad occaſum Solis, Dei noſtri laudabile nomen fiat in Te &c.* Haec, aliave id genus ſi quiſpiam aut nuſquam, aut raro admodum, difficulter, aegre, inviteque proferat, in ſuſpicionem venit initi a ſe cum Daemone commercii, docet, & recte quidem, *P. ipſe Brognolus* (*a*). Malam igitur hanc a ſe ſuſpicionem avertit *P. noſter Mezettus*, qui talia libere, ſponte, libenter, fauſteque uſurpavit in Prologio ad ſummum Pontificem, Romanumque Lectorem, quod in Libello Inſtitutionum exhibemus, legendumque commonemus.

Ad haec: Vir erat *P. Mezettus* multa pietate, qui Evangelici Concionatoris munus in multis Civitatibus ſancte functus eſt, quique etiam Scripta non-

(a) *Manual. Exorciſt. part.* 1. *Cap.* 2. *art.* 5. §. 4. *num.* 160.

nonnulla catholicum, vereque religiosum Virum undequaq; olentia in Christianorum commodum, utilitatemque plurimam typis vulgavit. Extat & nunc Libellus, cui titulus: *Affetti pietosi, ne' quali giornalmente dovrebbe esercitarsi ogni Cristiano. Operetta del P. Fr. Giovanni Battista Mezzetti dell' Ordine de' Servi di M. V. Professore di Teologia nel pubblico Collegio di Bologna, ed al presente Predicatore ne' Servi di Bologna. In Bologna per Giacomo Monti MDCXLIV.* Eo nimirum tempore publica luce Libellus a *P. Magistro* donatus est, quo *Puerum Modanesium* Scientias edocebat. Puerum enim erudiendum suscepit anno MDCXLIII. (atque sane non ad Scientias modo, ceteraque liberales Disciplinas, sed ad bonos quoque christianosque mores, atque ad sanctissimum, maximeque necessarium Domini timorem Puerum informavit) *DEL 1643. cominciò AD ISTRUIRE PER PURA CARITA' NELLE LETTERE, E NEL TIMORE DI DIO un fanciullo . . . detto GIACOMINO MODANESI.* Haec quidem Auctor Monumenti VIII. Carradorus vero: *QUESTO*

STO BUON PADRE... avea pigliato in protezione per allevarlo, ed insegnarli LETTERE, E BUONI COSTUMI GIACOMO MODANESI &c. Talem ergo Virum Diabolici insimulare commercii non iniquum est?

Nec tamen silentio praeteribo, multove minus inficiabor insolentem prorsus, & portentosam Pueri nostri doctrinam Romae apud nonnullos in suspicionem venisse nefarii ipsius Pueri, Magistrique cum Daemone commercii, atque pactionis; tacitamque primum paucorum mussitationem adeo demum in vulgus erupisse clamosam, ut ad fidei Quaesitores Puer delatus, ab ipsis fuerit ad Sanctum Tribunal vocatus in jus, scientiae suae, & methodi, qua eam fuerat assequutus, rationem redditurus. *Omnium consensu*, narrat id quidem Erythraeus, atque id ipsum non diffiteor ego, nec dissimulo, *sic tum est indicatum monstri, ac prodigii cujuspiam simile videri, tantam vim doctrinae, & eruditionis in eam aetatulam convenire. Quod cum ad Quaesitores fidei esset delatum, quod SUSPICARENTUR id quoque DAEMONUM PRAESTI-*

GIIS

GIIS posse contingere, est ab illis vocatus in jus. Ast quid, quaeso, inde? Obtinet ergo ne causam *P. Brognolus?* turpissime nos eadem cadimus? Nihil profecto minus. *Veritas, quae*, ut Hieronymus scribit, (*a*) *multitudine hostium non terretur, & quae claudi, & ligari potest, vinci vero non potest*; ipsa, inquam, veritas triumphavit, mala suspicio deleta est, invidia contrita, innocentia patefacta, atque Puer noster omni censura liber, haud impune tantum, sed & honorifice dimissus est: *Sed etiam*, prosequitur Erythraeus, *OMNIBUS SENTENTIIS ABSOLUTUS, atque insuper PALMA eleganti opere elaborata donatus est*; ad significandum scilicet victoriam de hostibus reportatam. Quin ab Eminentissimo Cardinali Sacchetto Ordinis nostri Protectore praeterea est *circumductus per Urbem CANDIDO INDUTUS HABITU AD INNOCENTIAE SIGNIFICATIONEM*, ut Annales nostri memoriae produnt (*b*). Haec non clanculum, sed

palam

(a) *In Prooem. lib. 5. Comment. in Jerem.*
(b) *Tom. 3. Centur. 5. Lib. 2. Cap. 14. ad annum* 1648.

palam Romae evenere: Romae tum degebat *P. Brognolus*; verum tametsi, quae Laureti contigissent, optime nosset, quod Romae fieret, ignoravit, reticuit, praeteriit. An consulto? Lectori esto judicium.

Ast si haec ita; quorsum igitur, inquiet *P. Brognolus*, *Magister* Pueri praecipiti sibi consuluit fuga? atque tandem ipsam sibi intulit mortem; ut fidei Quaesitorum Tribunal evaderet, & capitale judicium? *Magister vero illius aufugit, qui cum a Ministris sanctae Inquisitionis quaereretur, se ipsum voluntarie ex alta Turri praecipitem dedit*. Haec quidem scribit *P. Brognolus*; sed quantum ipse hallucinetur, & quot quantisque narratiunculam oneret erratis me, quaeso, sinat aperire. Atque quod ad fugam attinet: fugientem *P. Mezettum*, aut somniavit, aut sibi finxit omnino *P. Brognolus*; neque etenim unum ex ceteris reperias Scriptoribus, qui simile narrent aliquid, imo vero longe diversum; una quippe scribunt omnes: *P. Magistrum Mezetti* de Urbe egressum cum Puero suo, per Florentiam, perque Bononiam, commodo satis

satis itinere Butrium perveniſſe, ibique tuto ad tempus degentem, alacrius, totoque pectore ad erudiendum Puerum incubuiſse: ſolitum ſaepe dicere, tum demum Romam rediturum, quando multo quam ante Puer ſcientia, & doctrina Urbi toti portentoſus videretur. *Bononiam verſus Roma diſceſſit una cum Magiſtro, qui eum non in ſuam modo gloriam, verum etiam utilitatem PECULIARITER FOVET.* Haec ſcribit Erythraeus, cui conſonat Carradorus: *Licenziato il Putto, e'l P. Maeſtro dal Cardinale, RITORNO' A BUDRIO, E DATOSI CON MAGGIOR ARDORE DI PRIMA A COLTIVARE L' INGEGNO DEL PUTTO CON INTENTIONE DI RITORNARE A ROMA, e partorire maraviglie maggiori* &c. Et profecto integrum ferme annum poſt diſceſſionem ab Urbe, Puerum apud Magiſtrum ſuum *P. Mezettum* fuiſſe Butrii commoratum, inde novimus certiſſime, quod Eminentiſſimus Cardinalis Sacchettus anno MDCXLVIII. menſe Majo, nimirum poſt diſceſſum Pueri noſtri ab Urbe anno quaſi elapſo,

ſcri-

ſcriberet (*a*): *Il Putto Jacomino, CHE SI TRATTIENE preſſo il P. Mezzetti*, *ec.* Quid ergo nobis *P. Brognolus Mezettum* noſtrum clanculum ſe Romae ſubripientem obtrudit, atque tanta quidem confidentia, veluti eum eſſet fugientem non oculis modo, ſed pedibus inſecutus? Veruntamen id alii mirentur, non miror ego, cum etenim *qui errare coepit, facile multos errores congerit* (*b*); id erat expectandum omnino, ut *Brognolus* male incoeptam fabularem hiſtoriam, pejus proſequeretur, & errorem errore cumularet. Quod vero ſubdit *P. Brognolus*, Magiſtrum Pueri, nempe *Mezettum*, a Quaeſitoribus fidei in jus accitum praecipitem ſe ex alta Turri dediſſe: *Magiſter vero illius ... cum a Miniſtris S. Inquiſitionis quaereretur, ſe ipſum voluntarie ex alta Turri praecipitem dedit*: id nos volumus accuratiſſime inveſtigatum, remque proinde totam a fronte, ut inquiunt, ducimus reſumendam.

Quae igitur jam antea Romae nonnullos invaſerat, ea perpaucos Butrii cor-

(*a*) Vide *Monum. V.*
(*b*) Triver. *in Apophthegmat.* 58.

corripuit ſuſpicio, atque ſententia, Puerum noſtrum Daemonis ope ac magiſterio a *P. Mezetto* fuiſſe edoctum, atque ad miraculum in Scientiis eruditum: id tamen Romanos inter, & Butrienſes diſcriminis fuit, quod illos quidem rei novitas, ac inſolentia; iſtos vero invidia, & livor in ſententiam adduxit. Eo autem proceſſit invidorum malevolorumque quorundam hominum in *P. Mezettum* audacia, & petulantia, ut non vererentur publice cantitare brevi factum, ut *Puer* ipſe *Modaneſius* ultro ſponteque ſe fidei Quaeſitoribus ſiſteret, renuntiaturus ſe in Scientiis a *P. Mezetto* eruditum malis artibus, nefandaque Daemonis opera. Haec, quae per omnes Butrii vicos, plateaſque jam calumnia ſerpebat, ad ipſas tandem P. Magiſtri *Mezetti* aures pervenit, nec facile dictu eſt, quanto eum moerore confecerit. Expavit, expalluit, horruit, concidit, atque immenſum laborem, vigilias innumeras, ſolertiam incredibilem, ſumptus immanes in tradendis *Puero* Diſciplinis cum praeſenti comparans graviſſima calamitate, adver-

ſam, iniquamque deteſtatus eſt fortunam. Praeſto quidem fuerunt Amici, qui dejectum, profligatumque confirmare, & reficere velis, remiſque contenderent. Verum cum ex una parte haud ſemper eum poſſent Amici circumſtare, ex altera autem parte nequiſſima calumnia ipſum comitaretur ubique, premeret, & urgeret, vehementiſſimae qui erat imaginationis, decoriſque ſui & famae ſtudioſiſſimus, calumniae intolerans, ignominiae impatiens, adeo mente, animoque eſt perturbatus, ut ipſe ſibi moleſtus eſſet. Et ſane huc, illucque diſcurrens inquietus, tandem ſub veſperam diei XIII. Julii proceram ſatis Eccleſiae noſtrae Butrienſis Turrim conſcendit, atque totam noctem cogitabundus, & inſomnis delituit in ea. Albeſcente porro die XIV. id ad Fratres Coenobii noſtri delatum eſt, qui *P. Magiſtrum Angelum Mariam Ariminenſem* prudentia, & caritate nulli ſecundum, elegerunt, ut omnem impenderet operam, ſi forte conſequi poſſet, ut P. Magiſter *Mezettus*, tunc eorum Prior allevaretur, atque pacate de Turri deſcenderet. Res primum ex

voto

voto ſuccedere viſa eſt; cum enim commiſſo muneri *P. Magiſter Angelus* non deeſſet, precibus, & crebris pollicitationibus incitatus *P. Mezettus* morem ei geſſit, jamque per ſcalas deſcendebat. Sed oh miſerandum, lugendumque eventum! Habet nunc quidem procera Turris noſtra (induſtria *P. Magiſtri Dominici Baldaſſarii*, dum Butrii Parochum ageret ab anno MDCLXIII. ad annum MDCXCIV.) pavimenta aſſeribus exquiſite contabulata, firmas ligneas ſcalas, & fixis gradibus communitas, quae facilem praebent cuique, & expeditum ſurſum, deorſumque inceſſum: at eo tempore geſtatoriae & mobiles erant ſcalae, teretibuſque gradibus contextae, pavimenta quoque unico ſternebantur aſſere, atque ita anguſto, ut vix locum homini daret, ab uno ad alium Turris ordinem progrediendi: quae omnia incommodum ſatis, lubricumque aſcenſum faciebant, atque deſcenſum. Igitur in ipſo ſcalarum deſcenſu, pede impeditus, lapſuſque male offendit *P. Mezettus*, & ex alto Turris cacumine proruens, toto corpore confractus, infando caſu con-

cidit. Haec quidem tanto Viro indigna mors; ſatis nihilominus diſpar ab ea, quam inconſiderate nimium *P. Brognolus* commentus eſt. Quae porro diximus, ne ex arbitrio ficta, inque noſtrum commodum callide compoſita videantur, teſtem dabimus, eumque non domeſticum, ſed extraneum, coaevum autem, cui propterea fides ſit adhibenda indubitata. Hujuſmodi eſt laudatus ſaepe Carradorus, qui per id tempus Butrii degebat, Medicum agens mercede conductum, quique haec quam ſimillima eorum quae tradidimus ſcribit: *Fu tutta volta ſparſa voce DA CERTI EMULI DEL P. MAESTRO, che il Putto voleva rivelare al S. Uffizio, che per forza di male arti gli aveva inſegnato, e fatto imparare quello ſapeva.* Hanc autem vocem ab Aemulis P. Magiſtri ſparſam in vulgus, iterum monet candidus hic ſcriptor quod fuit CALUNNIA, EMALIGNITA' ALTRUI; & poſtea ſubdit: *afflitto ſovra modo, ſe ne appaſſionò a ſegno, che divenuto QUASI DELIRANTE PIU' NON SAPEVA CHE DIRE, E CHE FARE; ma fattogli coraggio da me, come che egli*

molto

molto confidava nell' affetto verace, che io gli portava, moſtrò concepire nuove ſperanze. Verum in dies increbeſcente calumnia: *Il povero Padre ESSENDO DI FACILISSIMA APPRENSIONE, E NE' PRIMI MOTI MOLTO AGITATO, COLPITO IN PARTE SI SENSIBILE non potè reggerſi, ma abbandonato d' animo, e di prudenza ſi laſciò SOVRAFARE DALLA CALUNNIA, E MALIGNITA' ALTRUI, DALLA QUALE CACCIATO s' induſſe ſulla Torre delle campane della Chieſa di S. Lorenzo, e trattenutoſi colaſsù tutta la notte delli XIII. Luglio in varie azioni da diſperato, nè trovandoſi alcuno di ſua confidenza, che gli faceſſe conoſcere LA FRAUDE, DA CHE DELUSO temeva d' eſſere carcerato nel S. Uffizio, finalmente la mattina delli XIV. Luglio NEL VOLERE SCENDERE DALLA TORRE PER LE SCALE a perſuaſione DEL P. MAESTRO ANGELO MARIA DA RIMINI, che dolcemente a ciò l'invitava; NELLO SCHIARIRE DEL GIORNO CADDE PRECIPITOSO AL SUOLO, e tutto infranto ſubito ſpirò.* Haec Carradorus, qui paulo ſcripſerat

ſupra: *Anno MDCXLVIII. a'dì XIV. Luglio il P. Maeſtro Giovanni Battiſta Mezzetti da Budrio della Religione de' Servi PRECIPITO' dalla parte ſuprema DI DENTRO della Torre delle Campane della Chieſa di S. Lorenzo in Budrio, e ſubito ſpirò l'anima. QUESTO BUON PADRE ec.*

His quam veriſſime, & ſine fuco expoſitis, jam nunc *P. Brognolum* debitis caſtigemus animadverſionibus. *Magiſter vero illius cum a miniſtris Sanctae Inquiſitionis quaereretur &c.* Merum commentum. Nuſquam a miniſtris ſanctae Inquiſitionis Magiſter Pueri quaeſitus eſt; ſed a quibuſdam duntaxat nebulonibus, qui gloriae, & virtuti tanti Viri inviderent, per ſummam calumniam, ea ſparſa vox eſt, Puerum Quaeſitoribus fidei renunciaturum, ſe in Scientiis a *P. Mezetto* eruditum nefaria Daemonis opera. *Fu tutta volta ſparſa voce DACERTIEMULI del P.M. che il Putto voleua rivelare al Sant' Uffizio, che per forza di male arti egli gli aveva inſegnato, e fatto inſegnare quello ſapeva..... CALUNNIA, E MALIGNITA' ALTRUI...Qui cum a miniſtris*

San-

ſanctae Inquiſitionis quaereretur, ſe ipſum voluntarie ex alta Turri &c. Error nectitur errori. Non a miniſtris ſanctae Inquiſitionis quaerebatur *P. Mezettus*, cum ſe in altam recepit Turrim; ſed calumniae impotens, conſilii vacuus, animi inops, deficiens ipſe ſibi, eo ſe occuluit aductus ab illo, quem aemuli ſui impudentiſſime inanem vulgaverant falſumque rumorem, brevi fore, ut ad ſanctum Inquiſitionis Tribunal vocaretur in jus. *Il povero Padre eſſendo di facilisſima apprenſione, e ne' primi moti molto agitato, colpito in parte ſi ſenſibile non potè reggerſi, ma abbattuto d' animo, e di prudenza ſi laſciò SOVRAFARE DALLA CALUNNIA, E MALIGNITÀ ALTRUI, dalla quale cacciato s' induſſe ſu la torre delle campane della Chieſa... Se ipſum voluntarie ex alta turri praecipitem dedit.* Belle equidem! Nimirum res ex adverſo eſt. Non voluntarie praecipitem ſe dedit ipſe ex alta turri *P. Mezettus*; ſed totam noctem cum delituiſſet in ea, diluculo opportune, ſuaviterque monitus *a P. Magiſtro Angelo Maria Ariminenſi*, cum ex alto Turris vertice jam tum deſcende-

ret, geſtatoriis ſcalis ad dubias claudicanteſque aſſeres admotis, lubricum obliquumque facientibus deſcenſum, praeſertim vero in tenebris ferme, atque maxime homini vigilia ſomniculoſo, imaginatione confuſo, moerore confecto, ad teretes primae ſcalae gradus offendens, toto corpore dilapſus, praeceps ad terram datus eſt. *La mattina delli XIV. Luglio nel volere ſcendere dalla torre per le ſcale, a perſuaſione del P. Maeſtro Angelo Maria da Rimini, che dolcemente a ciò l' invitava;* NELLO SCHIARIRE DEL GIORNO CADDE *precipitoſo al ſuolo, e tutto infranto ſubito ſpirò.*

Interea Butrio toto infauſtum *P. Mezetti* caſum, acerbamque dolente mortem; in Eccleſia S. Laurentii PP. illius Coenobii pientiſſime parentarunt, juſtiſque de more chriſtiano perſolutis, ne tanti viri memoria periret unquam, intra ſepta Monaſterii lapidem erexerunt, qui temporum dein injuria ac vetuſtate male habitus, ſub fornice Porticus Monaſterii traductus anno MDCCXIX. demum ob ejuſdem Porticus noviſſimam reſtaurationem, cum

aliis

aliis lapidibus ibidem pulcriori ordine collocandis ſervatur, cum Epitaphio hoc, tum primum inciſo:

Hic
Imago Virtutum Clauditur
P. M. Jo: BAPTISTA MEZETTUS a
Butrio Coenobii
Filius Patriae Decus
Viator Excellens In Arte Mori Non debet
Ornatu Linguarum Omnium
Scientias Parvulo Septenni Tanta Facilitate dictavit
Ut Romae Certamini Publico Expoſitas
Tribus Diebus In Aedibus S. Marcelli
Ord. Serv. B. M. V.
Anno Domini MDCXLVII.
Nova Urbis & Orbis Admiratione Probaverit.

Jam vero, *ſi a miniſtris Sanctae Inquiſitionis*, ob commercium cum Daemone, *quaeſitus fuiſſet P. Mezettus*, recepiſſet ne ſe Butrium, ubi Sanctae Inquiſitionis Tribunal in Aedibus PP. inclitae familiae S. Dominici erectum eſt? Ibi ad mortem uſque cum Diſcipulo ſuo fuiſſet commoratus? *Si ſeipſum*

voluntarie ex alta turri praecipitem dediſſet; juſta de more chriſtiano PP. Coenobii demortuo perſoluiſſent? eccleſiaſtica eum ſepultura donaſſent? lapidem honoris cauſa poſuiſſent? Id factum ſub oculis ſanctae Inquiſitionis? id a miniſtris ſanctae Inquiſitionis toleratum? Judicent rerum aequi aeſtimatores. Amens ſim ego, ſi haec credo.

Sed tandem aliquando *P. Magiſtrum Mezettum* demortuum derelinquit *P. Brognolus*, totumque ſe convertit *ad Puerum*, & firmo ſatis de eo calamo ſcribit: *Puer vero Daemoni abrenuntians, totam illam ſcientiam a Daemone infuſam amiſit, ac priſtinae ignorantiae reſtitutus, in quodam Conventu piorum Religioſorum incluſus, ſub Magiſtro catholico, ac pio educatus, vitam in melius commutavit.* Quoniam haec ex tripode pronunciat *P. Brognolus*, quaeſo, edoceat nos, certioreſque reddat quando, ubive Puer noſter Daemoni abrenuntiaverit, totamque illam ſcientiam a Daemone infuſam amiſerit, ac priſtinae fuerit ignorantiae reſtitutus. Credo equidem, inquiet, poſt diſceſſum ab Urbe Roma. Sit ita. Aſt ubi? *Lau-*

reti

reti dicet verisimilius. Lauretanum iter *P. Brognoli* merum somnium alibi ostendimus: atque si etiam demus *Lauretum* venisse Puerum nostrum, non ibi certe vale Daemoni dixit, nec scientia cecidit; quippe quem ex itinere advenientem Bononiam, Butriumque jam receptum, ibique commoratum propria est scientia comitata, ipsique astitit semper. Argumento sunt Litterae honorificentia plenae ab Eminentissimo & Reverendissimo Cardinale Julio Sacchetto datae die XXX. Maii MDCXLVIII. ad Priorem Coenobii nostri S. Mariae Servorum de Bononia, quibus Puerum nostrum etiam atque etiam Priori commendavit, ac dignissimum significavit, qui Religionis nostrae habitu in eo Conventu donaretur: Litteras in Appendice integras exhibemus; (*a*) interim quae ad rem nostram plurimum pertinent, ex illis describimus: *Se il Putto Jacomino,* CHE SI TRATTIENE PRESSO IL P. MEZZETTI, *ha fatto onore alla Religione de' Servi fin sotto l'ombra di essa, pare che*

(*a*) Vide *Monumentum V.*

maggiormente possiamo sperare, che sia per farlo, quando col manto proprio della stessa .... Non ho dubbio CHE PER LE QUALITÀ DEL SUO INGEGNO, oltre il suddetto rispetto sia più che volentieri per esser da tutti i Padri accettato all' Abito .... tra gli altri, che sono per vestirsi di corto .... L' ABILITÀ PROPRIA LO RENDE DEGNO .... Has porro litteras acceptas, coactis Conventus PP. Senioribus die VIII. Junii, *P. Magister Thomas de Passerottis* tum Prior recitavit: post haec ad suffragia ventum est, atque ne uno quidem dissentiente, Puer ad Habitum visus est recipiendus: *Furono congregati li PP. Discreti ... a' quali lesse* (laudatus nempe Pater Prior) *una lettera a lui diretta e scrittagli dall' Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinal Protettore, facendo istanza alli Padri di Casa, che si accettasse Jacomino Martini per Figlio di questo Convento; e questo è quel Putto (quasi dissi) miracoloso, che sostenne .... E così il P. Priore lo propose ai Padri Discreti, cioè se si compiacevano accettare Giacomino Martini per Figlio di questo Convento. Fu ballottato con voti tredici*

tut-

tutti favorevoli ſenza alcuna contradizione (a). Verum enim vero, ſi poſt diſceſſum ab Urbe, jam *Butrium* receptus, ibique per annum apud *P. Mezettum* commoratus, digniſſimus Eminentiſſimo Sacchetto viſus eſt Puer, qui ob ingenii praeſtantiam, doctrinaeque cumulum vehementiſſime commendaretur; ſi ob id PP. Conventus noſtri Servorum de Bononia, ſumma omnium conſenſione, Religionis Habitu donandum ſanxere; conſequens eſt certiſſime, non *Laureti*, aut alibi ex itinere, vel poſt, vale Daemoni dicto, ſcientiam amiſiſſe, qua Urbi, & Orbi fuerat admirationi. Iterum argumento eſt elegans Pueri noſtri Imago, quae de aere cyprio Bononiae ducta, ibidem, Superiorum facultate, publice vendebatur cum inſcriptione hac: *Il vero ritratto di Giacomo Martino Modaneſi d' anni ſette e mezzo, nella quale età difeſe Concluſioni di Teologia, Filoſofia, Legge, Medicina, ed altre Scienze. IN BOLOGNA CON LICENZA DE' SUPERIORI.* Ut enim prae-

(a) *Ibidem.*

praecor, ab Superioribus permiſſum, honoris quidem cauſa, ex aere expreſſam ad vivum Imaginem vendi Pueri, qui poſt diſceſſum ab Urbe, Laureti, aut alibi nefario Daemonis Magiſterio renuntiare coactus, male jam partam ſcientiam intra momentum amiſiſſet?

Satis, ut reor, *Brognolo* refutato inconſiderate injurieque prorſus ſcribente Puerum noſtrum, Daemone rejecto, totam ſcientiam illam ab eodem infuſam amiſiſſe, ac priſtinae fuiſſe ignorantiae reſtitutum; radici falcem mitto, atque illud enitor convellere fundamentum, quod eo uſque *Brognolum* duxit, alioſque forte, ut crederent Puerum noſtrum diabolico uſum magiſterio in Scientiis addiſcendis. Hujuſmodi porro fundamentum, quantum conjicere licet, multa ea fuit & inſolens ſcientia, quae cum videretur Pueri ſeptennis aetatem atque naturam ſuperare, ceu portentoſa nimium ab aliquibus eſt diabolico tributa commercio. Aſt quia plurima ſcientia haec ſupra ceterorum Puerorum aetatem atque naturam; ergone etiam ſupra ſeptennis Pueri noſtri naturam aetatemque?

pro-

proptereaque non egregio ingenio, non admirandae memoriae, non ſagacitati, non ſolertiae, non ſtudio, non labori Pueri noſtri, non tandem doctiſſimi atque impigri Praeceptoris induſtriae, ſed Daemoni tribuenda? Minime gentium. Non omnis fert omnia tellus, quod nimirum varia eſt, varieque admodum cum a natura ipſa diſpoſita, tum ab arte exculta; non omnibus par eſt hominibus ingenium, non aeque omnium animus ad Scientias comparatus. Da adoleſcentulum ingenio praeditum acri, acuto, feraci; fac ingenio laboris, induſtriaeque calcar addatur; ingenio, atque labori adjicito indefeſſum doctiſſimi Praeceptoris magiſterium; hunc ego credo adoleſcentulum rapturum veluti Scientias, atque eos brevi facturum progreſſus, ut admirationi ſit, atque portento. Notiſſimus ſane Hadriani Baillet Liber eſt, (*a*) in quo plurimos recenſet cum veteris, tum recentis aetatis Infantes ingenio, ſcientia, atque doctrina celebres. His igitur omnibus Daemonem dabis

(a) *Des Enfans devenus celebres par leurs études.*

dabis moderatorem, atque magiſtrum? Sin vero, concedas Infantibus hiſce acumen ingenii, animi alacritatem, memoriae vim, laboris tolerantiam, magiſtrorum ſolertiam mirifice profuiſſe, ut vel a teneris unguiculis nomen, famamque nanciſcerentur; cur quaeſo idipſum Puero noſtro recuſabis, & totam ejus ſcientiam ab inferis hauſtam per turpiſſimum euripum, Daemonis nimirum buccam deductam, invectamque affirmabis, confirmabiſque? Tum alibi diximus, tum hic opportune iterum dicimus: erat Puero noſtro, profecto erat praeclara indoles, excellens ingenium, memoria tenaciſſima; litteris ſuapte ipſe natura improbo incumbebat labore, atque vel magis ad eas incitabatur a Magiſtro ſuo doctiſſimo, diligentiſſimoque, qui probe noſcens veterem, ſolitam tritamque docendi viam longam, implicitam, importunam minus favere Puero ad litteras nato animatoque, novam, facilem expeditamque methodum excogitavit, qua ad Scientias anhelanti feret ipſe ſuppetias: *Era Puttino*, ſcribebat Carradorus, *DI ASPETTO ONORATO*,

E D'

E D' INDOLE SINCERA; alla costui educazione, e profitto nelle Lettere S' APPLICO' CON TALE ARDORE il detto Padre (Mezettus) *CHE NON DORMIVA, NE' MANGIAVA, NE' ALTRO MEDITAVA, che addottrinare questo Putto, il quale NELLO SPAZIO DI DUE ANNI appreſe* &c. Et Erythraeus: *Joannes Baptiſta Mezettus Servita, ſcribit, qui Pueri, ac pene Infantis INGENIUM odoratus, ex MEMORIA qua tradita ſibi OMNIA TENACITER comprehendebat, & quia SUIS EUM IMPERIIS OBSEQUENTEM HABERET, MAXIMAM IN SPEM VENIT, poſſe ſe in illa quamvis infirmiſſima aetate, quoddam quaſi aedificium ex omnium Doctrinarum aggregatione conflatum* &c. quin ipſam quoq; praeterea methodum, qua uſus eſt *Mezettus*, ut Puerum expeditiſſime ad Scientias manuduceret, eleganter exponit laudatus Erythraeus, cujus hic non damus verba, quod ea deſcripſimus ſuperius. Quid igitur in malas artes, inque nefariam Daemonis operam Pueri noſtri ſcientiam refundunt calumniatores, rejiciuntque, cum & queant, & debeant

eam

eam totam asserere egregiae Adolescentis indoli, assiduo ejus studio, Praeceptorisque labori prorsus immani? Aequiores Judices desideramus; verum si desideramus, & certe habemus, atque Viros quidem clarissimos, emunctae naris, & critices peritissimos, qui indoli praeclaraeque Pueri naturae, non Daemonis operae multam eam admirandamque asserunt doctrinam. Hujusmodi est celebris Praesul Antonius Godeau haec scribens: (*a*) *Le quel y a respondu sur toutes les Sciences, avec une clarté d'esprit, & une memoire si prodigieuse, qu'on a cru qu'il y avoit du miracle, ou du sortilege .... La nature se plait quelque fois a faire des efforts extraordinaires dans les esprits aussibienque dans tous les autres regnes.* Hujusmodi item est Hadrianus Baillet, (*b*) qui ferme ea ex Godeau exscribit, quae modo dedimus. Hujusmodi est Clarissimus Muratorius in sua morum Philosophia, qui postquam hoc Modanesii nostri ostentum retulerit, fatetur quidem, quod *anche oggidì parrà a tal uno incre-*

[a] *Ubi supra.*
[b] *Item ubi supra.*

incredibile; sed tamen extra omnem ingenii aleam positum esse decernit, dum prosequitur: *e pure esso è fuor di dubbio*, totumque egregium facinus acri ingenio, & tenaci Pueri memoriae, nec non optimae Praeceptoris μεθόδῳ adscribit his verbis: *ma mostri tali nascono di rado; e non tutti i cervelli, non tutte le memorie sono d' una stessa possanza; ed è poi di pochissimi il sapere con facil metodo allevare, e far crescere presto in sapere sì rigogliose piante.* Hujusmodi tandem est recentissimus continuator Bibliothecae Cinellianae, Gilascus Entelodensis, eruditissimus nempe *P. Magister Marianus Ruele* Ordinis Carmelitarum, qui post recensitos aliquos Pueros Litteris, doctrinaque celebres, haec scribit: (a) *Ma a verun di costoro forse non si convien meglio simil lode, che a Jacopo Martino Modanesi, il quale dopo acquistate CON MIRABILE, MA PIU' NATURALE ARTE TUTTE LE SCIENZE, IN ETA' DI SETTE ANNI, E NON PIU', essendo venuto a Roma volle dare un saggio del suo sapere.*

(a) *Scanzia 23. Pag. 34. In Roma 1739. nella Stamperia del Komarek.*

pere, &c. Atque utinam, quae clarissimis hisce, aliisque plerisque Viris de Puero nostro aequa stetit sententia, stetisset & *Patri Brognolo*; non eo nunc inviti adducti essemus, ut *Brognolum* iterum, saltem inconsiderantiae, insimularemus.

Ast, subdit *Pater Brognolus*, quid tandem causae fuit, cur demortuo Patre *Mezetto*, Puer continuo scientia cecidit, doctrinaque penitus amissa, propriae redditus est nativaeque ignorantiae? Argumento est, inquit *Pater Brognolus*, Puero Cacodaemonem fuisse magistrum, atque adeo, quam ab eo hauserat scientiam, amisit penitus, cum *Mezetto* vita functo, Puer sui juris ad sanitatem, judiciumque reversus Daemonem primum execratus fuit: *Puer vero Daemoni abrenuntians, totam illam scientiam Daemone infusam amisit, ac pristinae ignorantiae restitutus, in quodam Conventu piorum Religiosorum inclusus, sub Magistro catholico, ac pio educatus, vitam in melius comutavit.* Haec *P. Brognolus*, & veluti jam tum acta causa sibi plaudit, & placet. Verum lupum, ut ajunt, tenet auribus *Brognolus*, atque

tum

tum magis eum cauſa fugit, quando ſibi maxime credit adjudicatam. Quid enim *P. Brognolus*, ſi denegemus eunctam Puero periiſſe ſcientiam, *Mezetto* demortuo? Quid, inquam, tum *P. Brognolus?* Id forſan confirmabit, teſtes ſtatuendo, documenta producendo, tabulas adhibendo? Ne quidpiam horum ſane: *Brognolo* teſtes nulli, tabulae nullae, documenta nulla; non haec habet, non quaerit; id ſibi ſatis eſt, ſi aſſerat ipſe; jure, an injuria nihil ad ipſum. Non equidem diſſimulabo *Carradorum*, qui ob arctiſſimam cum *Mezetto* familiaritatem, omnem Pueri noſtri converſationem vitaeque inſtitutum habuit perſpectam, ingenue ſcribere Puerum potius ceſſiſſe retrorſum, quam in Scientiis progrederetur. Aſt eveniſse id forte narrat ſyncronus hic Scriptor, quod Puer, *Mezetto* e vivis erepto, Daemoni vale dixerit, quemadmodum ſcribit *Brognolus?* Nihil profecto minus; ſed quoniam vitam adhuc agente, beneque *Mezetto* valente, Puer laboris ſtudiique pertaeſus, libris litteriſque pene terga dederit, ſcholam refugiens Magiſtrique aſpectum,

ctum, ac disciplinam: *In vece il Putto d' approfittare maggiormente, retrogradò nell' apprender quello eragli suggerito dal P. Maestro:* Non ait: *Eragli stato insegnato*, sed solum: *eragli stato suggerito*: & paulo post: *essendo un giorno FUGGITO DI SCUOLA, E STATO FUGGIASCO tre o quattro giorni, ancorchè per opera mia ritornasse sotto la di lui disciplina, e promettesse FEDELTA', E DILIGENZA NE' STUDII.* Haec, quae Carradorus exponit oculatus certissimusque testis, si non calcibus impetant, quae audacter pronuntiat *Brognolus*, quaeso Lector animadverte.

Verum quoniam generosi victoris est victum liberaliter, honorificeque tractare, *Brognolum*, ni me fallit animus, in angustias adductum parumper relevemus, atque quod maxime optat, non recusemus Puerum nostrum, *Mezetto* vita functo, scientia cecidisse. Quid tum denique? Ergo ne factum, quod Puer verterit terga Daemoni? Hoc opus, hic labor: Si id probat *Brognolus*, ei causa stat; sin minus, dum eum humanissime nitor sublevare, eodem haesitat in luto. Quos igitur testes

advo-

advocat? An vero Scriptores Italos? dixi, iterumque ajo: eorum quidem nemo est, qui Puerum nostrum Daemonem ejurasse scribat, sed nec unus sane, qui Puerum scientia cecidisse, memoriae prodat, *Mezetto* mortuo. Dabunt forte, qui cum *Brognolo* maxime sentiunt, Scriptores Gallos. Non eo inficias a duobus Gallis Scriptoribus memoriae mandatum, Pueri nostri evanuisse scientiam post *Mezetti* decessum ex hac vita. Ast ab iisdem his, contendo ego, Gallis duobus Scriptoribus jugulo *Brognolum* peti, atque si quos habet ipse, sectatores. Verum enim vero ut hi potuerint Galli rescire Scriptores, quod Italis fuit ignotum penitus, primique ipsi omnium scribere Puerum nostrum, *Mezetto* mortuo, omnem amisisse scientiam (quod severiori nolumus librare in trutina) certo certius est hujusmodi Scientiarum jacturam aliis quibuslibet causis a duobus hisce Gallis tributam Scriptoribus, praeterquam Daemonis dimissioni. Cum eorum verba cedo, quam vere haec a me dicta sint, confirmo omnino. *Depuis la mort du Maître, l'Enfant, ce à que*

nous

nous avons appris, a oublié tout ce qu'il ſçavoit, & eſt devenu ſtupide. La nature ſe plait quelque fois a faire des efforts extraordinaires dans les eſprits, auſſibien que dans tous les autres regnes. Et comme elle ne peut pas les ſuſtenir long temps, il faut que ce grand feu s'eſteigne, ou par la ſtupidité, ou par la mort. Haec quidem laudatus ſaepe Praeſul Antonius Godeau. Hadrianus vero Baillet pariter haec: *La machine ſe trouva diſſoute dés qu'il n'y eût plus de Servite pour la conduire; & le Maitre ne fû pas plutot mort, que l'Ecolier oublia tout ce qu'il ſçavoit, & tomba dans la ſtupidité.... Il falloit que cet homme fût admirable* (nempe Magiſter) *ſi non dans toutes les Sciences, au moins dans l'artifice qu'il avoit trouvé pour faire ſi bien jouer cette machine. La mort du Maitre fit bien voir que toute la ſcience de l'Ecolier n'étoit qu'une pure machine. Car ſoit que ce fût une divinité Poëtique qu'il eût introduite ſur le Theatre de Rome pour donner de la poſſibilité à ce qui paroiſſoit au-deſſus de la Nature dans l'Enfant.* Duo porro ex Godeau verbis intelligo, planeque ſentio: primum ingentem admirandamque

Pue-

Pueri noſtri ſcientiam maxime ab ipſo Godeau Naturae tributam, quae cum prodigiorum ubique terrarum ferax eſt, etiam in Palladis regno ſua habet monſtra: *La Nature ſe plait quelque fois à faire des efforts extraordinaires dans les eſprits, auſſibien que dans tous les autres regnes.* Alterum, *Mezetto* mortuo, Pueri noſtri ſcientiam evanuiſſe, quod nimirum Natura monſtrorum noverca magis, quam mater non diu, multumque tales alat privignos, ſed immature a lacte depulſos, deſerat abjiciatque: *Depuis la mort du Maiſtre l' Enfant a oublie tout ce qu' il ſçavoit, & eſt devenu ſtupide.... Et comme elle* (ſcilicet Natura) *ne peut pas les ſouſtenir long temps, il faut que ce grand feu s' eſteigne, ou par la ſtupidité, ou par la mort.* Duo itidem ex Baillet verbis intelligo: primum, poſt *Mezetti* mortem, Puero noſtro cunctam periiſſe ſcientiam: *le Maître ne fût pas plutôt mort, que l' Ecolier oublia tout ce qu' il ſçavoit, & tomba dans la ſtupidité.* Alterum Pueri noſtri Scientiam, *Mezetto* mortuo, evanuiſſe continuo, quod nimirum, ſublato Magiſtro, quam ipſe affabre conglutinaverat, ea per-

turbata, atque diſcerpta methodus eſt, rerumque ordo, ſeu potius farrago, a qua tota Diſcipuli ſcientia, ceu teres mobiliſque machina ab Artificis manu magiſterioque pendebat, & movebatur: *La Machine ſe trouva diſſoue des qu' il n'y eût plus de Servite pour la conduire.* Tertium porro quod *Brognolus* cantitat ad ravim, non hercle ex Godeau, atque Baillet verbis intelligo, ſentio, haurio, quamvis adunco ſatis hamo id ego ſatagam expiſcari; atque iterum iterumque ſuas ſibi nares emungant, qui judicant cum *Brognolo*, nuſquam vale a Puero noſtro Daemoni dictum Gallorum Scriptorum verba olere ſentient. Suos igitur ſibi habeant Gallos Scriptores *Brognoli* fautores: ſi vero ab ipſis petantur jugulo, ipſi viderint. Interea mihi videor ego, jure meritoque cum univerſa Scriptorum turba definire, Puerum, qui nunquam diabolico eſt uſus magiſterio in perdiſcendis Scientiis, nunquam profecto aut vertiſſe, aut vertere potuiſſe Daemoni terga; hinc ad commentitias amando fabellas, ſin potius inter ſomnia repono, Puerum noſtrum a Daemone

receſ-

receſſiſſe. Poſt *Mezetti* autem mortem, univerſam periiſſe Pueri Scientiam, ſi rem dico ut ſentio, aegre admodum do, ob altiſſimum de hac re ſilentium cunctos apud Italos Scriptores; atque ſi id forte duobus Gallis tribuo Scriptoribus, cum ipſis quidem hujuſmodi ſcientiarum jacturam in alias quaslibet cauſas, quam in Pueri receſſionem a Daemone ſtatuo refundendam, praeſertim vero in praeproperam (ut mox dicturus ſum) Pueri noſtri mortem, poſt obitum *Mezetti*, ut eas ſinam afferre cauſas, quas multas Phyſici dant; quare quia teneris unguiculis, ingenio, atque memoria, Diſciplinarumque captu adeo ceteris pueris antecellunt, ut admirationi ſint, atque portento, aut raro admodum adoleſcant, multoque minus ſeneſcant, aut ſi forte aetate creſcunt, decreſcant ingenio, enerventur animo, ſenſimque a ſtudio deficiant & Scientiis.

Sed quid de Puero noſtro, poſtquam cum Daemone fecit divortium, ſcribat *Brognolus* jam tandem audiamus. *Puer vero .... in quodam Conventu piorum Religioſorum incluſus, ſub Magiſtro catholi-*

co, ac pio educatus, vitam in melius commutavit. Erravit *Brognolus*, iterum dico erravit; quique commercium, divortiumque Pueri noſtri cum Daemone commentus eſt, in ſomnis eſt fabricatus *Conventum*, in quo *Puer incluſus, vitam in melius commutavit.* Quamquam enim Puero in primis fuerit in votis Religioni noſtrae nomen dare; quamquam PP. cuncti Conventus Servorum Bononiae (praeſertim quod ab Eminentiſſimo Cardinali Sacchetto, Ordinis Protectore officioſiſſime commendaretur) Pueri voluntati, ac petitioni album adjecerint calculum, quemadmodum opportune a nobis ſupra dictum eſt; nihilominus infecta ſtetit res, atque Puerum deſponſum jam Ordini & deſtinatum, vel maxime inopinatus infanduſque P. M. *Mezetti* caſus noſtrae praeripuit Religioni. *Conventus itaque piorum Religioſorum* Butrienſis is noſter fuit, in quo ad mortem uſque *P. Mezetti* commoratus eſt Puer, non quidem incluſus in eo, aut Religioſae diſciplinae vinculis praepeditus, nec Coenobitam, ſed laicum agens. *Magiſter* porro *Catholicus, ac pius,*

a quo

à quo eſt educatus, is fuit *P. Mezettus*, qui quandiu vixit pietatem impenſe colens, eam pariter, quae Sanctorum eſt, ac Mundi ſcientiam apprime Puerum edocuit; unde non mirum ſane, ſi Puer in dies *vitam in melius commutaverit*, ut *Brognolus* quidem, alio licet intentus, ſignificavit. Praeſtat ſi hujuſmodi in re Erythraeum audiamus, qui intra bimenſis ſpatium a die celebris diſputationis Romae habitae, nempe V. Idus Aug. an. MDCXLVII. de Puero noſtro haec ſcribebat: *Roma diſceſſit UNA CUM MAGISTRO, QUI EUM non in ſuam modo gloriam, verum etiam utilitatem PECULIARITER FOVET.* Praeſtat vel magis Litteras legere Eminentiſſimi Cardinalis Sacchetti ad Priorem Conventus noſtri Servorum Bononiae datas die XXX. Maii anno MDCXLVIII., nempe diebus duodecim ante Patris *Mezetti* obitum, quarum initium tale eſt: *Se il Putto Jacomino, CHE SI TRATTIENE PRESSO IL P. MEZETTI* &c. Maxime tandem praeſtat audire Carradorum diſerte ſcribentem Puerum noſtrum ad mortem uſque *P. Mezetti* Butrii conſti-

tiſse. Quae ſupra pluries dedimus Carradori verba, hic non damus iterum, ne videamur Penelopes telam texere, atque retexere.

Poſt mortem vero *P. Mezetti* cujus meminiſse animus horret, luctuque refugit) Puer confeſtim *Butrio* relicto, *Caldarolam* petiit, eo nimirum immiſſus ab Eminentiſſimo Cardinali Joanne Baptiſta Pallotta, qui eum jam tum Romae diſputantem, in clientelam ſuſceptum, poſt mortem *P. Mezetti*, in Collegio, ſive Seminario ab Joanne Evangeliſta Patruo ſuo *Caldarolae* erecto, alendum, atque magis magiſque in Scientiis erudiendum perpoliendumque curavit: *L' Eminentiſſimo Pallotta*, inquit Carradorus, *avuto l' avviſo funeſto di queſta morte*, nempe *P. Mezetti*, *fece condurre il Putto a Caldarola ſua Patria, Terra nella Marca, ed ivi in Collegio eretto da lui* (*) *LO FA ALLEVARE, ED ISTRUIRE NEL-*

(*) *Non a Cardinali Joanne Baptiſta Pallotta, ſed ab Joanne Evangeliſta Cardinali ejus Patruo erectum fuit Caldarolae Seminarium, ut tradit Ciacconius Tom. 4. Vitt. Rom. Pontific. de Jo. Evangel. Pallotta.*

NELLE LETTERE. Sed perpaulum, reor, conſtitit Caldarolae; acerba enim praeventus morte, vix Clericus factus, breviſſimum vitae curriculum terminavit, atque ut pie credere par eſt, gloriam ingreſsus ſempiternam, tum vere *vitam in melius commutavit*. Auctor enim Monumenti VIII. qui poſt annum MDCLXVII. ſcribebat, ut in Appendice ſuo loco notamus, haec recitat: *Morì improviſamenti il P. Mezzetti, E NON MOLTO DOPO MORI L'STESSO GIACOMO MODANESI*. Atque horum ſimilis Caſſerius, (a) *fama fuit*, ſcribit, *hunc*, nempe Puerum, *biennio ſupervixiſſe*, Romanae nimirum celeberrimae Diſputationi; quae quidem Diſputatio cum die IX. Junii contigerit anno MDCXLVII., conſequens eſt Puerum obiiſſe anno circiter MDCXLIX., aetatis ſuae ferme X., atque vix uno anno ſupervixiſſe Magiſtro, qui mortem obiit die XIV. Julii MDCXLVIII.

Quae de emortuali Pueri noſtri anno ex laudatis ſcripſi Monumentis, ma-

(a) *Synthema Vetuſtat. Pag.* 47.

xime me confirmare posse eram in spe ex Libris Defunctorum Caldarolae, vel etiam Butrii; verum spes inanis; monitus quippe sum ab Amicis in Caldarolae Ecclesiarum, Seminariique Libris ne semel quidem Pueri nostri nomen legi. Butrienses vero Codices illius aevi Defunctorum, vel blattarum, & tinearum apulae putrescunt, vel penitus perierunt. Quare si de emortuali Pueri anno secus, ac ego, sentiat quis cum Carradoro scribente: *Morì il Putto fatto Chierico a Caldaruola l' anno* 1658., non recusabo, si modo certiora amplioraque addat documenta. Id mihi ex iis, quos ipse vidi, Scriptoribus certum est, Puerum nostrum brevissimum vitae spatium fuisse dimensum; neque in hoc unius Carradori assertum multum me premit.

Sed *Brognolum* ad finem jam narratiunculae suae properantem insequamur: *Ex quo patet, quod illius Pueri scientia in Ecclesia Minervae patefacta non fuit habitus acquisitus, vel infusus, sed potius Daemonis illusio, seu fanatica conspersio, atque infectio.* Bellum equidem certe epiphonema! *Ex quo patet.*

Dicat

Dicat quaeso *Brognolus* unde id pateat? Scriptores protulit nullos, tabulas nullas, monumenta nulla; Deos advocavit absentes, testes produxit nomine ignotos, nuspiam natos; & nihilominus libero calamo, expedita lingua pronunciat: *ex quo patet?* Patet imo ipsum fuisse deceptum, illusum, denique toto aberrasse ab ostio dum scriberet: *Ex quo patet, quod illius Pueri scientia in Ecclesia Minervae patefacta, non fuit habitus acquisitus, vel infusus, sed potius Daemonis illusio, seu fanatica consperssio, atque infectio.* Si mihi non creditur, Scriptoribus credatur, credatur tabulis, monumentis credatur, credatur jam tandem Auctoribus, quos probatos, ingenuos, coaevos dedi innumeros nostrates exterosque, qui pleno cantant choro, ingentem Pueri nostri Scientiam, qua Urbi & Orbi portento fuit, non Plutonis ope partam, non nefandis ex Orco haustam artibus, sed immani ipsius Pueri labore, praesertimque doctissimi *P. Mezetti* ejus Magistri solertia egregiaque methodo acquisitam, inventam, comparatam. Detur jure, detur ingenio, me-

moriae, ſtudio Pueri inſolenti penèque incredibili, quod injuria dedit *Brognolus* Diabolico commercio. Tribuatur merito, tribuatur doctrinae, diligentiae, labori, operae Magiſtri ejus *P. Mezetti*, quod immerito nequiſſimo tributum eſt Daemonis magiſterio. Reddatur optimo Adoleſcentulo, reddatur officioſiſſimo Magiſtro, quam eis ademit *Brognolus*, ſcientiam tanto partam labore; atque nigrum obliteretur, prorſuſque deleatur Theta, ipſorum, ut quam poſſum temperate dicam, improvide inſcienterque inuſtum frontibus. Verum quid ego, quorſumque *Brognolum* jam vita functum inſequor ultra? Cordatus ſane Vir erat *P. Candidus Brognolus*, non mediocris doctrinae, probataeque famae, quique propterea haud aegre Palinodiam ceciniſſet, ſi quae pro virili ego nunc parte teſtimonia congeſſi, vel ab ipſo dum viveret perlecta, vel ab aliis jam tum congeſta, ipſi legenda, excutiendaque fuiſſent propoſita: praeſertim ſcite ſcribente Auguſtino: (a)

Bo-

(a) *Epiſtola* 238. *ad Paſcent. Contra Arian. circa finem.*

Bonum eſt homini, ut eum veritas vincat volentem, quia malum eſt homini, ut eum veritas vincat invitum: nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſive negantem, ſive confitentem. Quin nec frontem, credo, obriguiſſet *Brognolus*, nec multo me fuiſſet intuitus ſupercilio, ſi haec in eum ſcripſiſſem, dum adhuc ageret ipſe in humanis, illius conſcius Auguſtini effati: *Nullus repraehenſor formidandus eſt amatori veritatis.* (a)

Quare qui vela jam contraho, atque me, meamque in portum recipio Apologiam omnem, ad Vos aequi bonique aeſtimatores, Lectoreſque humaniſſimos, ſermonem converto meum. Veſtrum eſt judicare, inglorium ne debeat, obſcurum ſordidatumque jacere perpetuo *Pueri noſtri Jacobi Martini Modaneſii*, atque ejus Magiſtri *P. Joannis Baptiſtae Mezetti* nomen, quod Urbem quondam, & Orbem implevit ſpectatiſſimum; an potius a mala vindicatum labe, ſuoque avito reſtitutum nitori, in auras prodire iterum, laudem famamque conſecuturum ſempi-

[a] *De Trinit. Lib. 2. in Proœm.*

ternam. Veſtro me propterea, Apologiamque meam ſiſto tribunali, ſperans fore ut vos cauſam mihi adjudicetis. Id interea ſciatis, opto, amore tantum veritatis, *quae cum minime defenſatur, opprimitur*, (a) non odio in quemquam laborem hunc ſuſceptum a me. Ceterum qui gloriam nullam ex hac Opella nobis obvenire poſſe probe noſcimus, contenti ſatis erimus, ſi *Jacobum Martinum Modaneſium*, atque *P. Joannem Baptiſtam Mezettum* ſentiemus pro virili parte noſtra ab inuſta ipſis ignominia liberatos: cumque Poeta cantabimus: (*b*)

Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis
Cauſa, ſed utilitas, officiumque fuit.

A P.

(a) *Diſt.* 83. *Cap.* 3. Error.
(*b*) Ovid. *de Ponto Lib.* 3. *Epiſt. ad* Pru-

APPENDIX
MONUMENTORUM,

Quibus potissimum Apologia contexitur.

Hiſtoria facta narrat fideliter, atque utiliter.

D. Auguſt. *de Doct. Chriſt. lib. 2. cap. 28.*

LECTORI BENEVOLO.

FIdem meam libero, amice Lector. Fueram tibi pollicitus integra dare Monumenta, quibus Vindiciae hae meae praesertim consutae sunt. En ipsa habes in Appendice hac distincte, ordinateque dispositа, suisque numeris consignata. Erat equidem in animo MSS. tantum exhibere Monumenta; hac enim ratione satis tui commodo consultum esse putabam, si quae sparsim & interciſe in Apologia lectitasses, cuncta eaque plena in locum unum congesta reperies; atque etiam fidelitati, integritatique meae bene prospectum, si ipsis quoque intemperanter suspicioſis omnis eriperetur occasio mussitandi quidpiam forte a me adductum ex cerebro, ingenioque confictum. Verum ut Libellum praeterea Institutionum *P. Mezetti*; quo in Apologia frequenter usus sum, jam pridem typis expressum, recudendum censuerim, ea potissimum causa fuit; quod Libellus hujusmodi minime obvius est, quin rarus adeo & infrequens, ut vix aut ne vix quidem a curioſis investigatoribus reperiri queat, vel comparari. Enim vero quamquam Cl. P. M. Aloysius Maria Garbi Annalium Ordinis nostri Continuator egregius duo hujusce

Libelli exemplaria a se reperta testetur anno 1713; unum quidem Florentiae in refertissima Bibliotheca Coenobii nostri SS. Virginis Annuntiatae; alterum vero Bononiae in Bibliotheca Conventus nostri S.Joseph: nostram certe diligentiam duo haec exemplaria effugerunt, atque exquisitissime inibi conquisita, sive exturbata loco, sive etiam deperdita, nusquam potuerunt adinveniri. Quin cum & reliquas Ordinis nostri Bibliothecas, vel lustraverim ipse, vel ab amicis lustrandas curaverim, ne unum quidem exemplar detectum est. Quod itaque unum Butrii in Archivo Conventus nostri S. Laurentii bono quodam fato sartum tectumque supererat, illud ipsissimum ab Antonio Boriano Bononiensi publico Notario Apostolico, & Imperiali verbum de verbo excriptum typis hic recusum volui; sperans id acceptum tibi, maximeque Nostratibus gratum, qui multa, ut saepe audivi, Libellum hunc visendi, legendique curiositate tenentur. Tu interim vale, meumque propositum aequi bonique facito.

MO-

MONUMENTUM I.

INSTITUTIONES

Theologiae, Philoſophiae, Juriſprudentiae, Medicinae, & aliarum Diſciplinarum, delibatae

A Puero Septenni

JACOBO MARTINO MODANESIO

Nativitate Veneto, Educatione Bononienſi, Genere Mutinenſi,

PRAEMONSTRANTE

F. JOANNE BAPTISTA MEZETTO

Ord. Servor. B.M.V. a Butrio S. Theologiae Doct. Collegiato in Bononienſi Univerſitate;

ET EXPONENTE

Publico examini, atque Diſceptationi Per extractionem faciendae

Romae apud S. Marcellum die Pentecoſtes An. 1647. Et dabitur cuicumque locus.

ROMAE, MDCXLVII.
Ex Typographia VITALIS MASCARDI
SUPERIORUM PERMISSU.

INNOCENTIO X.

Totius Orbis Christiani Moderatori Maximo

Fr. JOAN. BAPTISTA MEZETTUS

Servita S. Theol. Magister, Doctor Coll. Bonon.

ET

IACOBI MARTINI MODANESII

Pueri Septennis in Elementis Disciplinarum Institutor.

ANceps animo volvebam, B.me PATER, an septenni in Puerulo innocenti revereri deceret TE INNOCENTEM. Opponebam mihi maxima solum Maximis deberi: at DEUM ipsum ter maximum, sibi parvulos advocantem Salomon ipse proponens cum praeluxit, dubitationis tenebras vicit; claraque tunc tandem refulsit in luce, tum parvula decere Maximos, tum Maximi esse, non maxima

ex

ex magnis, sed ex minimis facere maxima. Ecce ergo jure suo utitur Parvulus hic, dum hilari, atque in laetitiam ornato vultu, TE quaerit, atque ut par est, obsequentissimus veneratur. Nec mirum, si ad INNOCENTEM innocens divertat; TUA enim praevolans COLUMBA Puellum allexit, quae innocentiae candore, non tam Nomen, quam Animum TUUM, feliciter sane, quando candide inter LILIA praenuntiat. Puerum tibi exhibeo rationem praeripientem tempori, qui summis labrisDisciplinarum fluenta aetatem praecurrens delibavit, ut tandem felices, & sapidos virtutis latices pleno ore adultus exhauriat. Grandia non exhibeo SEDI TUAE, ut quae maximis jam assueta est, in minimis hujus Pueri, quae nova sunt, & ignota, sibi tanquam in filio Parens complaceat. Tota TIBI triumphat (ut vides) Ecclesia: nec enim Pacis Regina triumphum oportunius ageret, quam sub COLUMBA. Una TUI Turcica Luna currus non sequitur sphaeras, quia nondum plena, neque enim quae deficiunt TUA sunt. Quando denique in

Or-

Orbem creverit, ut meditatur, tunc, rotatibus apta, currui subjectabitur TUO, ut citius & clarius in Pacis Capitolium evehare. Faxit DEUS, ut in Ecclesia sua laus haec maxima perficiatur, & ab ortu ad occasum Solis DEI nostri laudabile nomen fiat in TE, atque nostro hoc ævo verum sit dicere, TUA praevolante COLUMBA: oriatur in diebus tuis Orbi Christiano abundantia pacis, donec auferatur Luna.

ROMANO LECTORI.

JAm pridem multi queruntur Artem perlongam esse, vitam brevem; & en tibi in Puerulo Ars abbreviata, non quidem solo arbitrio, sed juxta Concilii ultimi Lateranensis prudentissimum consilium; etenim sessione octava Catholicos exhortatur, ut humanarum Disciplinarum e fontibus Aegyptiorum, canum aemuli, scatentes erroribus aquas currentes vix lamberent, quando eorum finis non eloquentia Ciceroniana, sed virtus Christiana est, cui reliquus omnis pugnat, ut aequum est Scientiarum exercitus. Et ecce Ti-

bi

bi Puerum rationem praeripientem tempori, qui ſummis labris Diſciplinarum humanarum effluenta aetatem praecurrens, nova methodo ſed non abſque ratione delibavit, ut tandem felices, & ſapidos virtutis latices pleno ore adultus (favente DEO) exhauriat. Atque quo melius diverteret quam ad te, Roma, quam Virtutum omnium regnum agnoſcit, atque ſanctimoniae rore exundantem miratur univerſus Orbis? Quid tibi grandia exhiberem, Roma, quae jam in maximis, hoc eſt in tuis rebus, tibi tu ipſa decreviſti? Ut mirareris, minima in hoc Puero danda erant, ut quae maximis aſſueta es, minima, quae tibi nova ſunt & ignota, tandem laeto vultu ſuſciperes: & quando divinum VERBUM breve factum in homine mirabile fuit Orbi, non mirum erit ſi VERBUM idem, per ſuum auxilium in homine brevi, hoc eſt in Puero, breve pariter factum (ſaltem in reſtrictione tot definitionum, & cauſarum) mirandum ſe faciat Urbi.

DI-

DILUCIDATIO SCHEMATIS

Juxta litteras Alphabeti in eo posita.

A. Ut populum innocentem pariat Ecclesia, advocatur a Deo tamquam Columba, ut habetur in *Cant. Cap.* 2.

B. Cruciatur Sponsa, Ecclesia Dei militans, ut pariat talem populum; per multas enim tribulationes oportet nos Catholicos adire Caelum, ut colligitur tam ex Apocalypsi *cap.* 12. quam ex *Actib. Apost. cap.* 18.

C. Hostis Ecclesiae Zabulon membris, atque capitibus suis Schismaticis, Haereticis, Infidelibus stat coram Christi Ecclesiam, ut filium ejus devoret populum sanctum, ut habetur ex *Apoc. cap.* 12.

D. At Michael Archangelus Protector sanctae Ecclesiae stat pro animabus justis contra Draconem, & committitur praelium, & fit victoria. *Apoc.* 12.

E. Dracone triumphato, destructis adversitatibus, & erroribus universis; toto Orbe in pace composito, videbimus

bimus Civitatem ſanctam Jeruſalem novam, Eccleſiam Dei deſcendentem de caelo virtutibus divinis decoratam, & tamquam Sponſam ornatam Viro ſuo. *Apoc.* 21.

F. Fulgoribus Eccleſiae inductae Gentes ex omnibus terrae partibus fluent, & venient ad Eccleſiam Chriſti. Ita *Iſaias* 2. & *Apoc. cap.* 21.

G. Verum ſi imitati non fuerint *Innocentiam* Parvulorum, non ingredientur ſanctam Civitatem; ut inquit Chriſtus apud *Matth.* 18.

H. Ramum igitur olivae portans Columba innocens pacem Orbi Catholico auguratur, ut ſub amplexu Pacis, & Juſtitiae fiat unum Ovile, & unus Paſtor.

Aetas Pueri, juxta fidem Baptiſmi.
Die 14. *Menſis Martii* 1647.

Ego Natalis Surianus Archipresbyter S. Mariae de Racano Adrienſis Dioeceſis atteſtor me adinveniſſe in Libris Baptizatorum dictae Eccleſiae memoriam his verbis adnotatam; videlicet:

13. *Novembris* 1639.

Ego Joannes Baptiſta Sega baptizavi Infantem natum die 11. currentis hora decima ex Franciſco Modanenſe, & Franciſca Conjugibus, cui nomen fuit impoſitum Jacobus Martinus. Patrini fuerunt Alphonſus Baldo, & Lucia Armelina ambo de hac Plebe &c. In quorum fidem &c.

Dat. Racani die, & Anno ſupradicto.

Idem qui ſupra ſcripſi, & ſolito ſigillo munivi.

JOAN. PAULUS SAVIUS

Dei, & Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopus Adrienſis.

UNiverſis &c. Fidem facimus, & atteſtamur ſupradictum Adm.R. D. Natalem Surianum, qui ſupradicta ſcripſit, & ſubſcripſit eſſe talem, qualem ſe fecit, ac virum bonae conditionis & famae, cujus ſcripturis, & ſubſcriptionibus hic plena fides adhibetur, & ubique merito eſt adhibenda.

In quorum fidem &c.

Datum Rhodigii in Palatio noſtro die 15. Martii 1647. Hiacynthus Bixuccius Can. Epiſc. Adrienſis de mandato

Locus ✠ ſigilli Epiſcopalis.
Locus ✠ ſigilli Parochiae.

De

De Scriptura Sacra, & Ecclesia Romana.

Cum ab infantia litteris sacris vacare commendetur a Paulo *ad Tim.* 2. ideo a Scriptura divina exordientes delibavimus Libros veteris, & novi Testamenti, per hujusmodi Tractatus, videlicet.

De Canone sacrorum Librorum. De Historiis, quae continentur in ipso compendiose. De Versione, de Sensibus; & de Interpretatione ejusdem Sacrae Scripturae. De Traditionibus ecclesiasticis. De Unitate, Visibilitate, & Sanctitate Ecclesiae. De Conciliis catholicis. De Summo Pontifice; & de Virtutibus theologicis.

Ex Theologia.
De Deo.

Quasi modo geniti infantes, praegustato lacte ab uberibus Sanctae Romanae Ecclesiae per Scripturam divinam, & virtutes, Deum nostrum sibi parvulos advocantem in Proverbiis *cap.* 9. adire non dubitavimus, infra-

ſcriptos Tractatus theologicales attingentes. De Eſsentia, Exiſtentia, & Subſiſtentia Dei. De Attributis divinis in genere, & in ſpecie. De ſcientia Dei, tam in ordine ad ſe, quam in ordine ad creaturas poſſibiles, & futuras. De Attributis principalibus ejuſdem Scientiae divinae. De Ideis, & concordia divinae Praeſcientiae cum noſtro libero arbitrio. De Voluntate Dei, actibus, & attributis ejuſdem voluntatis. Poſtremo de Proceſſionibus divinis.

De Chriſto.

Quoniam, ut inquit Scriptura, haec eſt vera ſapientia noſse te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Filium tuum, ideo praelibata cognitione Dei in unitate Eſsentiae, & Trinitate Perſonarum, Chriſtum Dominum noſtrum venerantes, attigimus ſequentes Tractatus ad Incarnationem ſpectantes, videlicet:

De poſſibilitate, convenientia, neceſſitate, & fine Incarnationis. De valore operum Chriſti. De eſsentia, qualitate, & cauſis Incarnationis. De

modo

modo Unionis hypoſtaticae tam ex parte aſſumentis, quam ex parte naturae aſſumptae. De Gratia Chriſti tam habituali, quam actuali, & gratiſdata. De Scientia ejuſdem beatifica, infuſa, & naturali.

Ex Metaphyſica.

Praecognitis illis, quæ maxime neceſſaria nobis viſa fuerunt ad enutriendam, & roborandam fidem noſtram catholicam, & quae ante omnia opus eſt ut fidelis agnoſcat, ad mentem D. Athanaſii, aggreſſi ſumus ſcientiam illam, quae radicitus ingerit nobis cognitionem naturae noſtrae, juxta illud: *Noſce te ipſum*: & ab univerſalioribus praedicatis exordientes, ut per cognitionem actualem diſtinctam procederemus, a Metaphyſica delibavimus infraſcriptos Tractatus, videlicet:

De Ente, & Eſſentia: de attributis, ſeu affectionibus Entis tam unitis, quam disjunctis; tam primis, quam ortis; tam principalibus, quam acceſſoriis, ideſt de unitate, veritate, bonitate, numero, ordine, perfectione, pulchritudine entitativa. De actu, &

potentia, principio, & principiato, causa, & causato; finito, & infinito; necessario, & contingenti; speculabili, agibili, & factibili; eodem, & diverso; universali, & particulari; communi & proprio; communicabili, & incommunicabili; toto, & parte; simplici, & composito; naturali, & artificiali; absoluto, & relativo; permanente, & successivo; priori, posteriori, & concomitanti; completo & incompleto; abstracto, & concreto; subjecto; & adjuncto; medio, & extremo; signo, & signato; mensura, & mensurato. De primo cognito; & tandem de speciebus Entis, hoc est de Substantia, & Accidente, tam in genere, quam in specie; sed praecipue de Angelis, & Anima rationali.

Ex Physica.

Diviso ente in Substantiam, & Accidens, nobilissimam partem ejus nobis primo loco proposuimus dignoscendam, idest Substantiam, & quidem delibata spirituali, materialem, circa quam tota Physica occupatur, aggressi sumus, percurrentes Tractatus:

De

De Principiis rerum naturalium in communi. De Materia; de Forma; de Privatione; de Natura; de Cauſis; de Motu; de Infinito; de Loco; de Vacuo; de Tempore; de Unitate, Contrarietate, & Speciebus motus: de Indiviſibilibus; de Modis incipiendi, & deſinendi rerum; de Terminis magnitudinis, & parvitatis: de Impulſu, & de primo Motore.

Ex Medicina.

Inter corpora naturalia nobiliſſimum locum tenet corpus humanum, de quo ut ſanabili pertractat Medicina, quapropter ut Philoſophiam naturalem in noſtro corpore experiremur, ex hujuſmodi Diſciplina attigimus Tractatus:

De Elementis: de Temperamentis: de Humoribus: de Facultatibus: de Actionibus, & de Spiritibus; quae omnia ſpectant ad res naturales corporis humani. Item de Aere; de Cibo, & potu; de Somno, & Vigilia; de Inanitione, & Plenitate; de Motu, & quiete; de Re venerea, & de animi accidentibus, quae attinent ad res non

naturales ejuſdem noſtri corporis. Inſuper de Cauſis morborum; de Morbis ipſis, & Febribus, & de Symptomatibus ſpectantibus ad res praeter naturales.

Ad exactiorem vero cognitionem rei Medicae delibavimus aliquid: De Morborum temporibus: de Criſibus; de Diebus judicialibus; de Signis; de Pulſibus; de Urinis, de dejectionibus, & ſputis; de conſervanda Sanitate: de methodo medendi; & tandem de Inſtrumentis Medicinae, Dieta, Pharmacia, & Chirurgia.

Ex Juriſprudentia.

Intellectus practicus ſequitur ſpeculativum, veluti fructus ipſi ſequuntur flores; cum igitur Philoſophia moralis ad mentem ſapientum ſit fructus noſtri intellectus; ideo delibatis ex Ethica Virtutibus cardinalibus; Juſtitiam, & Prudentiam ceteris anteponentes, libros Inſtitutionum, qui de Juſtitia pertractant, juxta ſenſum Virorum prudentum attigimus per Titulos:

De Juſtitia, & Jure; de Manumiſſione; de Patria poteſtate; de Nuptiis;

de

de Adoptionibus; de Tutelis: de capitis Diminutione: de Curatoribus. Item de acquirendo Dominio rerum; de Servitutibus ruſticorum, & urbanorum praediorum; de Uſufructu; de Uſu, & habitatione; de Uſucapionibus, & longi temporis Praeſcriptionibus; de Donationibus; de Alienationibus; de Teſtamentis, & Haeredibus; de Subſtitutionibus; de Legatis; de Lege Falcidia; de Fideicommiſſariis haereditatibus; de Codicillis; de Haereditatibus ab inteſtato; de Legitima agnatorum, & cognatorum ſucceſſione; de Senatuſconſulto Tertylliano, Orficiano, & Trebelliano; de Gradibus cognatorum; de Bonorum poſſeſſionibus; de Obligationibus tam ex contractu, quam ex quaſi contractu, tam ex delicto, quam ex quaſi delicto; de Stipulationibus; de Fidejuſſoribus; de Mandatis; de Lege Aquilia, & de Injuriis. Item de Actionibus in rem, & perſonam; civilibus, & praetoriis; petendae rei, vel penae, vel miſtis; habentibus condemnationem in ſimplum, in duplum, in triplum, & in quadruplum; bonae fidei, & ſtricti juris;

ris; arbitrariis in rem, & in personam; quibus consequimur totum solidum, vel minus solido: de Negotio, quod dicitur gestum cum eo qui est in aliena potestate; de Peculio; de noxalibus actionibus; de Satisdationibus, de perpetuis, & temporalibus actionibus, quae ad Haeredes, & in Haeredes transeunt; de Exceptionibus, & Replicationibus; de Interdictis; de Poena temere litigantium; de Officio Judicis, & de publicis Judiciis.

Ex Logica

Praecognitis simplicibus terminis ad Disciplinas praecipuas spectantibus, congruum erat, ut Disciplinam illam deliberemus, quae nos docet modum recte ratiocinandi de ipsis terminis simplicibus: Sicque intentionibus primis praegustatis, facilior esset gradus ad intentiones secundas, de quibus Logica: ex qua attigimus Tractatus.

De Praedicabilibus, Antepraedicamentis, Praedicamentis, Propositionibus, & Syllogismis: videlicet de Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente: de Univocis, Aequi-

quivocis, Analogis, Denominativis, Regulis, & divisionibus; de Substantia, Quantitate, Qualitate, Relatione, Actione, Passione, Quando, Situ, Ubi, & Habere: De oppositis modis essendi prius, & simul; Speciebus motus, & modis habere. De essentia, speciebus, & accidentibus Propositionum, & Syllogismorum. De Praecognitionibus, & Praecognitis. De Demonstratione, & ejus principiis immediatis. De Circulo, & Regressu. De Propositionibus de omni, per se, & quatenus ipsum; & tandem de Definitione.

Ex Grammatica.

Modum ratiocinandi docuit Logica; sed recte loqui in discursu docet Grammatica; & ideo nequaquam primo loco didicimus hanc Artem, ne per ignotos terminos locutio flueret. Praecognitis ergo terminis Scientiarum (quantum fas est Puerulo) facilior datus est nobis aditus ad percurrendas partes ipsius Grammaticae, nec non Regulas circa Verba activa, passiva, neutra, communia, & deponentia. Insuper

de Verbis impersonalibus, infinitis, famulatoriis. De Adverbiis localibus. De Gerundiis; de Supinis; de Comparativis; de Superlativis; & de Participiis.

Ex Rhetorica.

Tunc prodest Scientia nostra, cum alios ad veritatis cognitionem attrahere possumus; igitur cum Rhetorica moveat, atque delectet, ut inde possit docere veritatem, nec non alios attrahere ad suum sensum; ideo ultimo loco Rhetoricam libavimus, ejus partes praecipuas attingentes, scilicet Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, Memoriam, & Pronunciationem. Loca intrinseca, & extrinseca, ex quibus argumenta desumuntur; partes, & genera Orationis; figuras tam dictionis, quam constructionis, & elocutionis.

Verum, cum eloquentia comparetur natura, arte & exercitio; Deus donat naturam; tradunt Magistri artem; sed exercitium comparatur tempore: cum igitur Parvulus noster aetatem puerilem fere attingat, carere per-

perfectione neceſſe eſt. Sed hanc tu quoque praebebis, ſi corde tuo perfecto illum ſuſceperis &c.

MONUMENTUM II.

In Archivo Conventus noſtri S. Marcelli de Urbe, inter alios rationum, ſive expenſarum Codices, reperitur Liber conſcriptus a P. Joſepho Borgia Romano, dicti Coenobii Procuratore. In hoc porro Libro ſignato numero XXVIII. & cui titulus: Giornale dell' uſcita dal MDCXLVI. ſino al MDCL. *haec leguntur, pagina* 51.

Uſcita del Meſe d' Aprile 1647. A' dì detto (*ideſt die 6. Aprilis*) venendo la mattina a Roma la Letiga del P. Reverendiſs. Generale per ſervizio del M. R. P. Procurator Generale, per condurlo a' Capitoli, nella quale venne dentro il P. Maeſtro Gio: Battiſta da Budrio, con un Putto d' anni ſette, e meſi quattro in circa, per ſoſtenere publica Concluſione di tutte le Scienzie, dedicata alla Santità di Noſtro Signore Papa Innocenzo X. Sommo Pontefi-

tefice, e di più il ſuddetto Putto, oltre alle Scienzie ſcolaſtiche, cioè la Sacra Teologia, Filoſofia, Fiſica, Legge, Medicina, e Logica, ed ultimamente la Grammatica, delle quali ne ſa render ſtrettiſſimo conto; conoſce li Caratteri di tutte le lingue, cioè Turcheſca, Arabica, Caldea, Greca, ed Ebrea, coſa di ſtupore non ſolo alla noſtra Città di Roma, ma coſa, che rende meraviglia a tutto il Mondo, e per queſto la noſtra Chieſa, e Convento ha grandiſſimo concorſo. Nella loro foreſteria..... ho ſpeſo ec.

Deinde pagina 60., a tergo, haec alia ſcribit:

A' dì 9. [*nempe menſis Junii*] Domenica giorno di Paſqua Roſata..... ho ſpeſo ec. Il ſuddetto giorno furono ſoſtenute publiche Concluſioni in Chieſa noſtra da Jacomino Martino Modaneſe, Diſcepolo del Padre Maeſtro Gio: Battiſta Mezzetti da Budrio, con grand' applauſo di undici Eminentiſſimi, che v' intervennero, ſenza ſpecificare la quantità de' Prelati, che molti ve ne furono, ed altri tornorno indietro con il Signor Cardinal Lanti Decano, quale

le non potè aver l'ingresso, per la moltitudine di Popolo, che circondavano il Convento, e Chiesa da tutte le parti, e l' onore, e l'applauso del Putto di sett' anni, e mesi sei lo confessò Roma medesima, ed il mondo tutto ne sia testimonio, essendo le cose tanto chiare, e manifeste, che resteranno impresse fin che dureranno questi Secoli.

MONUMENTUM III.

In Archivo Conventus nostri S. Mariae Veritatis de Viterbio, cernitur Liber inscriptus: Uscita 1643. fino a tutto 1653., *in quo pag. 91. haec scripta leguntur:*

A' dì 10. Luglio, 1647. E più per la venuta del P. M. Mezetti, col suo Putto in Lettiga, per un paro di Piccioni bajocchi 22 ½ in Ova, bajochi 6, in Insalata, Salcicciotto, e Finocchio ec. bajocchi 10. in tutto bajocchi 38 ½ e 2 quattr.

MONUMENTUM IV.

Extat in Tabulario nostro Coenobii Sanctissimae Annunciatae de Florentia.

Li-

Liber, cui titulus: Giornale del Camerlingo dell' anno MDCXLV. al MDCXLIX. *signatus littera Y. in quo pag.* 137. *haec leguntur:*

A' dì 15 Luglio, 1647. La foresteria del P. M. Gio. Battista Mezzetti da Bologna, e di Giacomino suo Nipote (*Discipulus tantum fuit, non Nepos P. Mezetti Jacobus Martinus Modanesius*) in tre pasti., che in cervella lire una, Fichi, soldi cinque, in Pollastri lire due, in Pesce, limoni, e altro soldi undici, che in tutto lire 4. 12. 8.

MONUMENTUM V.

In Archivo Conventus nostri Servorum Bononiae, Codex servatur MS. numero IV. notatus, hunc praeferens titulum: Libro de Partiti. *Haec vero in eo habentur fol.* 142.

A' dì 8. Giugno 1648. in Lunedì. Dal M. R. P. Priore furono congregati li PP. Discreti nel solito luogo delle Congregazioni, a' quali lesse una Lettera a lui diretta, e scrittagli dall' Eminentiss., e Reverendiss. Sig. Cardinal Protettore, facendo istanza alli

PP.

PP. di Casa, che si accettasse Giacomino Martini per Figlio di questo Convento; e questo è quel Putto (quasi dissi miracoloso) che sostenne in pubblica Roma diverse Conclusioni, con l'assistenza d'undici Cardinali, con l'intervento di molti Prelati, e Personaggi di garbo, come è noto a tutto il Mondo, e così il P. Priore lo propose a' PP. Discreti, cioè se si compiacevano accettare Giacomino Martini per Figlio di questo Convento, e fu ballottato con voti tredici tutti favorevoli, senza alcuna contradizione. I PP. furono il P. Priore, il P. Maestro Angelico, il P. Maestro Camillo Maria, il P. Maestro Gio. Vincenzo, il P. Maestro Giuseppe Maria Reggente, e Socio; il P. Baccelliere di Convento da Raconigi, il Ven. P. Tomaso, il V. P. Gio. Paolo, il Ven. P. Francesco Maria, il Ven. P. Melchiore da Venezia Sindico, il P. Mario Sagrista, ed il P. Gio. Girolamo Aguchia. E in fede ec.

Ita est, ego Fr. Thomas de Passerottis Prior.

Fr. Gio. Vincenzo Partitario.

Et ibidem loci exſcriptam legimus Epiſtolam Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Julii Sacchetti tunc quidem temporis apud S. Sedem Ordinis noſtri Protectoris; eſt autem Epiſtola hujuſmodi:

Al Molto Reverendo Padre

Il Priore de' Servi di Bologna.

Molto Reverendo Padre. Se il Putto Giacomino, che ſi trattiene preſſo il P. Mezzetti, ha fatto onore alla Religione de' Servi fin ſotto l' ombra di eſſa, pare, che maggiormente poſſiamo ſperare, che ſia per farlo, quando col Manto proprio della ſteſſa gli ſia conceſſo di militare. Non ho dubbio, che per la qualità del ſuo ingegno, oltre il ſuddetto riſpetto, ſia più che volentieri per eſſere da tutti i PP. accettato all' Abito, e ſpecialmente favorito da V. P., che dovrà aver a caro di connumerarlo tra gli altri, che ſono per veſtirſi di corto; con tutto ciò ho voluto con queſta mia aggiungervi le mie iſtanze, non ſolo per facilitargli l' accettazione, di che non dubito, ma

mol-

molto più ancora per disporre la P. V., ed i PP. medesimi ad ammetterlo per Figliuolo di cotesto Convento, ed a contentarsi di mezza dozzena l' anno in riguardo della sua povertà, che congiunta all' abilità propria lo rende degno di qualche distinzione dagl' altri, ed io ne resterò con particolare aggradimento a Lei, ed a tutti codesti PP. à' quali per fine mi offero di cuore in che vaglia. Di V. P.

Roma 30. Maggio 1648.

Affettuosissimo nel Signore
G. Card. Sacchetti.

P. Priore de Servi. Bologna.

MONUMENTUM VI.

Excerpsimus Monumentum hoc ex Codice MS. cui titulus: Memorie istoriche del Castello di Budrio, e suoi contorni compilate dal Dottor Alberto Carradori Cittadino d' Imola, e Medico delle molto magnifiche Comunità del medesimo Castello dall' anno MDCXXXVII. fino all' anno del Signore MDCLXI. *Quo quidem temporis spatio, ab anno nimirum*

rum MDCXXXVII. ad annum MDCLXI. laudatus memoriarum historicarum Scriptor Busrii Medicum egit mercede conductum, ut ipse testatur pag. 61. a tergò. Servat porro Codicem hunc in vetustatem Excellentissimus Doctor Dominicus Golinellus Butrienſis, qui ejuſdem quoque Codicis ope veteres, recentioresque Patriae ſuae Memorias collegit, eaſque publici juris fecit impreſſas Bonon. an. MDCCXX. typis Laelii a Vulpe. Itaque Carradorus e re mea haec ſcribit fol. 41.

Mille ſeicento quarant' otto. A' dì 14. Luglio il P. Maeſtro Gio. Battiſta Mezzetti da Budrio della Religione de' Servi precipitò dalla parte ſuprema di dentro della Torre delle Campane della Chieſa di S. Lorenzo in Budrio, e ſubito ſpirò l'anima. Queſto buon Padre, a cui Dio benedetto perdoni, aveva pigliato in protezione per allevarlo, ed inſegnarli Lettere e buoni coſtumi Giacomo Modoneſi figlio di Franceſco Modoneſi, detto Mattarello, che era nato in Budrio l'anno 1641. Suo Padre eſercitava il meſtiere del Gargiolo, ed era povero a ſegno, che

io più d' una volta feci elemosina al detto Giacomo, che mendicava. Era Puttino d' aspetto onorato, e d' indole sincera: alla costui educazione, e profitto nelle Lettere s' applicò con tale ardore il detto Padre, che non dormiva, nè mangiava, nè altro meditava, che addottrinare questo Putto, il quale nello spazio di due anni apprese lingua Latina sì, che parlava, e rispondeva senza errore; leggeva Greco, ed altri Idiomi, intendeva questioni Filosofiche, Teologiche, Matematiche, ed io stesso gl' insegnai principj di Medicina. Mosso dalla speranza di tal profitto il detto Padre spiegò l' ali del desiderio, e fece sentire in Roma alla presenza di tutta la Corte Conclusioni difese dal detto Putto in età d' anni sette, e dedicate alla Santità di Papa Innocenzo decimo allora regnante, e l'intaglio in Rame di dette Conclusioni costò al P. Maestro 300. Ducatoni, cioè lire 1500, e sperando trarre dalla munificenza del Sommo Pontefice emolumenti notabili, restò ingannato. Riuscì tutta volta grata la Funzione a tutta Roma, ma più all'Eminentissimo Cardi-

dinale Gio. Battista Pallotta, che si dichiarò Protettore del Putto, e lo levò alla Cresima, regalandolo, ed animandolo maggiormente a proseguire negli studj, promettendogli, che ritornando a Roma per l'anno Santo 1650. voleva facesse maggior mostra del suo sapere col difendere Conclusioni più ardue e più sode. Licenziato il Putto, e'l P. Maestro dal Cardinale, ritornò a Budrio, e datosi con maggior ardore di prima a coltivare l'intelletto del Putto, con intenzione di ritornare a Roma, e partorire maraviglie maggiori, avvenne, che in vece il Putto d' approfittare maggiormente, retrogradò nell' apprendere quello eragli suggerito dal P. Maestro; onde afflitto questi sovramodo, se ne appassionò a segno, che divenuto quasi delirante più non sapeva che dire, e che fare: ma fattogli coraggio da me, come che egli molto confidava nell' affetto verace, che io gli portavo, mostrò concepire nuove speranze del desiderato profitto del Putto, che essendone un giorno fuggito di scuola, e stato fuggiasco tre, o quattro giorni, ancorchè per

ope-

opera mia ritornasse sotto la di lui disciplina, e promettesse fedeltà, e diligenza negli studj; fu tutta volta sparsa voce da certi emuli del P. Maestro, che il Putto voleva rivelare al Sant'Uffizio, che per forza di male arti egli gli aveva insegnato, e fatto imparare quello sapeva. Il povero Padre essendo di facilissima apprensione, e ne primi moti molto agitato, colpito in parte sì sensibile, non potè reggersi; ma abbattuto d'animo, e di prudenza li lasciò sovraffare dalla calunnia, e malignità altrui, dalle quali cacciato s' indusse su la Torre delle campane della Chiesa di S. Lorenzo, e trattenutosi colà su tutta la notte delli 13. Luglio in vane azioni da disperato, nè trovandosi alcuno di sua confidenza, che gli facesse conoscere la fraude, da che deluso temeva essere carcerato nel Sant' Uffizio, finalmente la mattina delli 14. Luglio, nel voler scender da detta Torre per le Scale a persuasione del P. Maestro Angelo Maria da Rimini, che dolcemente a ciò l'invitava, nello schiarire del giorno cadde precipitoso al suolo, e tutto infranto subito spirò. L'Eminentis-

tissimo Pallotta avuto l'avviso funesto di questa morte, fece condurre il Putto a Caldaruola sua Patria, Terra nella Marca, ed ivi in Collegio eretto da Lui lo fa allevare & istruire nelle Lettere. Morì il Putto fatto Chierico a Caldaruola l'anno 1658.

MONUMENTUM VII.

Monumentum hoc ex Codice MS. excerptum est, res, memoriasque Butriensium continente, Auctore Patre Magistro Dominico Baldassari ex Oppido Solaroli Faventinae Dioecesis oriundo, Conventus autem nostri Butrii alumno, qui cum ibi Parochum ageret ab anno ferme MDCLXIII. ad annum MDCXCIV. eas memorias collegit; quique post administratam Ordinis nostri Romandiolae Provinciam, Ravennae obiit anno MDCCXVIII. aetatis suae circiter LXXXV. Codex penes laudatum Golinellum est, ex quo plura in memoratum nuper Opus suum derivavit. Haec ad propositum nostrum in eo legimus fol. 50.

Il P. Maestro Gio. Battista Mezzetti

ad

da Budrio, Predicatore, e gran Teologo, praticone di tutte le Scienze e Lingue, uno de Teologi del Collegio di Bologna, l'anno 1647. andò a Roma con Giacomo Martino Modanesi Fanciullo d'anni sette, intorno al quale s'era tanto affaticato per insegnarli le Scienze e Lingue diverse; che il giorno della Pentecoste e due seguenti, l'anno sopraddetto, in S. Marcello di Roma volle, che asceso in Cattedra il mentovato Fanciullo Modanesi (facendo egli le parti di Assistente) pubblicasse il grave sapere del Maestro, e di lui medesimo, benchè in tenera etade, mentre fu sempre pronto a sciogliere delle esposte tante Dispute, e Conclusioni gli apportati argomenti, che da mille bocche, e varj idiomi scoccavano nel grave Circolo di quelle Cattedre verso il tenero fanciullo. Era il Liceo (e pure anche si vede) dedicato alla San. Mem. di N. S. Papa Innocenzo X. in cui comparirono come gran Capitani i primi Capi delle Scienze tutte, e nondimeno furono l'esposte ragioni sì bravamente difese, che le prime teste di Roma ebbero a dire, d'aver

conoſciuto nel P. Mezzetti eſservi la vera miniera delle Scienze tutte raccolte..... Morì l'anno 1648. li 14. Luglio Priore di queſto Monaſterio. Ha in ſtampa un libretto *Affetti pietoſi* eſpoſti in Bologna, mentre vi era Predicatore di molta ſtima *&c.*

MONUMENTUM VIII.

Poſtremum monumentum eſt Codex praeſignatus: Campione, *qui inter ceteros Codices, in laudato Tabulario Conventus noſtri Servorum Bononiae cuſtoditos, octavum in Abaco obtinet locum. In hoc igitur Codice Scriptor Anonymus, Ordinis tamen noſtri alumnus, qui ſcribebat poſt annum MDCLXVII. in quo morte m indicat Cardinalis Sfortiae Pallavicini; haec* [*quorum ſe, ex aliqua parte, oculatum teſtem aſſerit:* Io che regiſtro queſte memorie ſono in parte teſtimonio di viſta] *haec, inquam, mihi commodiſſima tradit fol. 61. a tergo* §. III.

Il P. Maeſtro Gio: Battiſta Mezzetti, dopo eſſer ſtato Maeſtro di ſtudio, e Baccelliere di Convento in queſta Città, dimoſtrò il ſuo ſapere in ampliſſimo

mo Teatro; poichè del 1643. cominciò ad istruire per pura carità nelle Lettere e nel timor di Dio un Fanciullo di pochi anni, detto Giacomo Modanesi, figlio d'un povero Garzolaro, abitante in Budrio, e l'ammaestrò con tanta pazienza, studio, assiduità, e fatica di giorno, e di notte, come io, che registro queste memorie sono in parte testimonio di vista, che essendo il Fanciullo di anni sette, condottolo a Roma l'anno 1647., nella nostra Chiesa di S. Marcello gli fece tenere con la sua assistenza pubbliche Conclusioni di tutte le scienze le tre feste della Pentecoste. Le Carte delle Conclusioni, delle quali si veggono anco adesso molte copie, sono dedicate ad Innocenzo X. allora regnante. L'intaglio è bellissimo, e di bizzarra invenzione, parto della mente dello stesso P. Mezzetti, e scolpito in Rame in Bologna da Francesco Curti. Vi si veggono con maniere misteriose la Chiesa, la Città di Roma, la pugna degli Angeli col Dragone, l'Arme del Pontefice, le quattro parti del Mondo, l'arme de' Cardinali viventi, e delle Religioni regolari alla destra, e

delle militari alla ſiniſtra. L' azione riuſcì così famoſa, che correndo tutta Roma per ſentire il Fanciullo, ſi fece tumulto in San Marcello, ed i Cardinali medeſimi ambivano d' udirlo. Fra gli altri ſoggetti eminenti, che gli argomentarono contro, uno fu il P. Sforza Pallavicini, che l' anno 1667. morì Cardinale. Dall' Eminentiſſimo Cardinal Protettore Giulio Sacchetti fu propoſto il Fanciullo alla Figliuolanza di queſto Convento, e da' PP. fu accettato, come nel libro de' Partiti ſotto gli 8. Giugno 1648. a carte 142. Dove ſi legge la lettera che in queſto propoſito ſcriſſe quell' Eminentiſſimo al P. Priore, che era il P. Maeſtro Gian Tommaſo Paſſerotti da Bologna, lodando il Fanciullo, ed avvilando di quanto decoro ſarebbe ſtato a queſto Convento, per l'ottima riuſciuta, che di lui ſi ſperava. Ma mentre ſtava per veſtirſi, ed entrare in Noviziato, morì improviſamente il P. Mezzetti, e non molto dopo morì l' iſteſſo Giacomo Modaneſi, che nella ſua fanciullezza avea fatto ſtupire Roma, anzi tutta l' Italia.

LET-

LETTERE
INEDITE
D'ALCUNI ILLUSTRI UOMINI
Del Sedicesimo Secolo.

dignis laudibus, elegantique oratione in omnem poſteritatem tranſmittere valerem. Paveo equidem, nec mediocriter contremiſco, plurimumque mihi ipſa iraſcor, dum me indoctam, inexpertam tam claro, ac præclaro operi minime idoneam eſse conſpicio, cum pro ingenioli mei imbecillitate, tum quia litterarum, ac eloquentiæ vix ingreſſa ſum ſtudia. Quid dico ingreſſa? ne dum primum eruditionis limen attingere merui. Plurimum tamen, dilectiſsimi Patres, me recreat, atque refovet conſpectus veſter, prudentia, caritas, inexplicabilis benevolentia, intemerataque fides veſtra, quæ hodierna die per totam Italiam magno cum veſtri nominis ſplendore patefacta eſt, dum magnificos Dominos Varaneos fratres meos amantiſsimos, Dominum videlicet Rodulphum, ac Julium, noſque una omnes ad exoptatam patriam, antiquamque præceſſorum noſtrorum dominationem unanimiter revocatis. Unde fit ut veſtris prudentiis, ac humaniſsimis moribus roborata præſumpſerim animo, ac animorum puellarium de-

po-

posuerim timiditatem, vestrasque insuperabiles probitates æternæ memoriæ consecrandas jejunis verbis, balbutienti lingua, ac perturbata oratione collaudare, ac viribus, quibus possum, celebrare aggressa sim, melius esse ducens ruditatis, ac imperitiæ, quam detestabilis ingratitudinis, ac rusticitatis maculosis titulis obumbrari. Ceteris decursis temporum spatiis glorioſa hæc Civitas nostra inter alias Campi Piceni insignis habebatur, abundans opibus, scientiis clara, armis potens, ac moribus civilibus instituta. Hodierna vero die non solum Marchiæ, ac aliis excelsis urbibus Italiæ, quæ divinum regimen Principum retinet, quas brevitatis causa opus est silentio præterire; sed famosissimæ illi totius Græciæ Constantinopolitanæ urbi est dignissime comparanda, quæ semper Imperatorum suorum sceptra voluit venerari; intermissum enim per modicum spatium temporis Imperatorum suorum regimen concitatissime restauratum est. Tria vero Mundi regimina Philosophorum princeps Aristoteles Ethicorum libro memorat, quæ so-

ſopori dediti me vigilante melius noſtis. Populare unum, quod certe infimum eſt, aliud plurimorum civium virtute præſtantium; maximum, ac omnibus longe dignius (*a*) Regum, ac Principum regimen eſſe digniſsime confitetur, quod adverſa amiſſum fortuna tam unanimiter, ac concorditer veſtra animi facilitate, ac conſilio revocaſtis. Nullus enim humanis artibus majorem laudem comparare valeret ea, quæ iſtis diebus pro innata veſtris pectoribus pietate conſecuti eſtis; &, ut Orator teſtatur in Marcellina, nihil eſt opere, & manu factum quod non aliquando conficiat, ac conſumet vetuſtas. At vero hæc veſtra juſtitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ut quantum operibus veſtris diuturnitas detrahat, tantum efferat laudibus. Tum uber, ac fluentiſsimus, & tantus veſtrarum virtutum ſe aperit campus, ut ſummopere difficilius ſit tam brevibus verbis tam magna con-

clu-

(*a*) Non è da ſtupirſi, che queſta Principeſſa preponga il Regio governo all'Ariſtocratico, tanto comodo alla ſocietà, perchè parla in cauſa propria.

cludere, quam ad vestras virtutes extollendas principia excogitare, quæ non incultæ orationis brevitatem, sed magna antiquorum doctorum volumina efflagitarent. Quapropter temporis brevitate compulsus est animus meus finem verbis imponere, ne placidissimas aures vestras inornati sermonis effectu tantum, ac jucunditate plenas obtundere videar. Immortales ac ineloquibiles vobis, amantissimi Cives, Illustris, ac potens Princeps pater & Dominus noster præclarissimus Galeatius de Malatestis, ac Magnifica Consors & Dominarum omnium decus, Mater videlicet nostra dulcissima, Domina Baptista, Magnifica, & præclara genitrix nostra Domina Elisabeth, & Magnifici fratres mei Dominus Rodulphus & Julius, & nos una omnes Varanenses pro tam magno, & insuperabili beneficio gratias agimus. Majores tamen nos debere profitemur; nec nos solum, sed omnes Italiæ Principes, ac Domini, qui nobis vel benevolentia, vel sanguine sunt conjuncti: digna ad extremum præmia ac vestris congrua me-

ri-

ritis humana facultas solvere non valeat. Quamobrem omnipotentis Dei auxilium humiliter imploramus, ut imbecillitatis meæ defectum suppleat; ac vestris reverentiis tribuat quod merentur, ac benignum hunc Populum a cunctis adversitatibus liberatum in placida, tranquillaque pace constituat. Nos postremo qui a vobis in tam clara donatione constituti sumus, firmiter promittimus, ac integra fide pollicemur, quod semper vestris justissimis votis parati, non ut Cives, sed ut patres semper erimus veneraturi. Dixi.

Ad Alphonsum Regem Aragonum.

ETsi vereor, Serenissime Princeps, ac summopere pertimesco augustissimam Majestatem tuam tam excelsis, tam inusitatis triumphis ac victoriis præfulgentem rudibus verbis, ac puellaribus obsecrationibus flagitare; tamen illustrissima, immortali, atque præclara divinarum virtutum tuarum, ac præsertim Cæsareæ pietatis fama compulsa sum, ut apud sacratissimæ Majestatis tuæ pedes pro magnifico fra-

fratre meo Rodulpho, devotissimo servo tuo, humanitatem, clementiam, ac regium favorem tuum orare non desinam. Tuæ igitur benignitatis roborata præsidio, clarissimæ Celsitudini tuæ inornatas ac inexpolitas litteras meas destinare constitui. Malui enim ingenii ariditatem, ac præcipue in eloquentia imperitiam profiteri meam, quam inobedientiæ titulis insignita in fratrem, ac in me ipsam impia, ac atrocissima judicari, ac tuas celeberrimas probitates indigno, ac reprehensibili silentio præterire, quibus in explicandis tot, & talia tam extraneorum quam nostrorum doctorum præcipua desudarunt ingenia, dum præ magnitudine rerum lingua torpescit, & indignum videtur esse quidquid humana cogitatio verbis conatur exprimere, dum mentis arcanum in apertam eloquentiæ lucem traducere non potest. Nullus quidem serenissima Majestate tua, ut sapientibus omnibus sententia est, vel præteritorum, vel præsentium Regum generis nobilitate insignior unquam fuit. Nullus in pace, aut in bello præstantior, nullus religiosior,

ſior, nullus juſtitia ac in omni virtutis genere præſtantior invenitur. Verum quid ago, mearum virium, ac parvæ immemor facultatis, dum tuas ineloquibiles laudes debito non poſſum enarrare præconio? Silere non valeo quod & Marcus Tullius in oratione pro M. Marcello teſtatus eſt. Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamque clementiam tuam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem benevolentiam ac pene divinam tacita præterire nullo modo poſſum. Tua enim prudentia ac victrici dextra gentes immanitate barbaras domuiſti, ac civilibus legibus probatiſſimiſque moribus tuis inſtituiſti, ac innumerabilium nationum, ritu, linguis, habitu diverſarum dominus, rex, princeps & clariſſimus triumphator extitiſti. Nihil nempe clariſſimo nomini tuo reliquum videtur, niſi quod ingenuum ac religioſiſſimum hoc opus, quod tanta cum laude, hilaritate, ac celeberrima tuæ Majeſtatis gloria ſuſcepiſti, feliciſſime proſequaris, ut ſanctam Dei Eccleſiam Salvatoris noſtri

stri sacro sanguine desponsatam, variis perturbationibus æstuantem in propria restituas dignitate, & nobilissimam hanc Orbis partem tantis præliorum adversitatibus laceratam in solidissima pace constituas, veluti in aliis Mundi partibus sacratissima Majestas tua facere consuevit, ac ex tua liberalitate regalique munificentia fidelissimi sanctæ Romanæ Ecclesiæ filii, clarissimarum urbium quondam Domini, in antiquas sedes revertantur. Præteritorum quidem Dominorum gravissimo salutarique consilio totus hic noster Campus Picenus in summa quiete constitutus justissime gubernabatur: inter quos erat ille Magnificus Dominus genitor noster præclarissimus, virtutum omni genere præditus, qui non ob sua scelera a propriis civibus, sed ex improborum fratrum malignitate, ac perversa livoris macula, mortis supplicia passus est, & innocentissimam animam omnipotenti reddidit Creatori: cujus benignissimi Principis mortem non solum Marchia, sed tota deflet Italia. Deinde post modicum temporis spatium Camerini populus & acrem, &

tanto sceleri debitam exolvere vindictam. Ex quo quidem Serenitati tuæ dilucidissime patet quantis malis, incommodis, & laboribus parvuli fratres, ac omnium nostrorum innocentia oppressa fuit, dum aliorum nequitia dulcissimum parentem, & antiquum amisimus principatum. Eam ob rem Serenissimæ Majestatis tuæ benignissimam clementiam oro, ac suppliciter obsecro ut fidelissimum Servum tuum Rodulphum Varaneum, fratrem meum in avorum, proavorumque nostrorum antiquam, & perpetuam Camerini dominationem restituas. Quod si feceris, uti pro tua magnanimitate confido, ætas præsens & sæcula post futura nunquam de tuis laudibus conticessent: semper vigebis in pectoribus singulorum, & apud Deum & homines non immerito perpetuam habebis coronam. Præterea Magnificum Dominum Galeatium Malatestam, avum videlicet meum, quem ut patrem colo, meque indignam servulam ut apud sacratissimos Majestatis tuæ pedes indesinenter commendatos esse velis omni cum reverentia,

&

& per quamhumili voce deposco. Quos omnes ad tua vota semper accommodatos invenies. Dixi.

Illustri Matri, & Dominæ suæ D. Baptistæ de Malatestis Filia Constantia Varanea S. P. D. & Optat.

MOesto ac lacrymabili casu consternatus animus, ac omnes sensus mei acerba ex amaritudine labefactati sunt adeo, ut quicquid in me virium erat, atque nervorum (licet illæ pauxillæ semper fuerint) in hujus illustrissimi Principis, devotissimique Patris & Domini nostri morte in lacrymis ac dolore consumpserim. Agnoscebam equidem nulli tantum tenuem ingenioli mei facultatem debere, quantum felicissimæ illi memoriæ, quæ, ut ex litterarum peritia foret egregium, omni cum industria paternalem exhibuit diligentiam, ac me uti filiam, ut studia humanitatis ingrederer, tam dulciter ac suaviter admonebat. Testor Dominum Jesum, cujus beatissima illa anima consortio delectatur, & indubie fruitur, quod tam inconsolabili

sum mœrore devicta, ut nullatenus epistolam conscribere valuissem. Excidisset calamus, torpuisset lingua, voxque faucibus hæsisset meis, ut non modo sententiam, sed ne verbum quidem contexere potuissem. Modo vero paululum viribus reasumptis incomptam hanc lucubratiunculam suspiriis assiduis editam, plenam singultibus, lacrymisque jugibus fontis instar manantibus interlitam ad te mitto, in tua benignitate ac prudentia sperans atque confidens te potius dilectionem, ac caritatis affectum, quem non facile verbis enuncio, quam verba hæc inepta, ac inornate contexta librare. Malo sermonis rusticitatem in medium efferre meam, quam in obitu tam clarissimi Principis patris, ac Domini mei elinguis, ac ingratissima judicari. Quis est enim adeo ab humanitate sejunctus, ac ferinis moribus educatus, duroque, ut sic dicam, stipite natus, qui tam clarissimum sidus non solum huic patriæ, sed toti Italiæ, ac universo terrarum Orbi ademptum esse non lugeat? O infelicem patriam tam justo, tam prudenti, tam firmo gubernaculo

destitutam! O infaustos filios ac filias, ac nos una omnes communi ac vigilantissimo & prope divino parente orbatos! O miserrimos cives tam benigno Principe desolatos, qui tanta prudentia, mansuetudine, atque justitia, æquo quoque ac tranquillo moderamine subditos refovebat! Quid dicam? volvuntur per ora rivuli lacrymarum. Quicquid humanus sermo potest verbis exprimere, quicquid mens valet excogitare, quicquid intellectus capere potest pro suarum admirandarum virtutum magnitudine, ac incredibili animi celsitudine comparando fit vilius. Et licet felicissima illa anima, quæ de Mundo ac vitiis tam glorioſissime triumphavit, ac æterno sponso inseparabiliter copulatur, Angelorumque, ac beatorum spirituum interest choris, pollutæ, ac balbutientis linguæ præconio & laudatione non egeat; tamen pro paternali dilectione qua vivens mihi fuit semper affectus, astricta ego catena non fragili, sed potius, ut ajunt, adamantina, tam inusitatas ac excelsas virtutes suas indigno silentio pertransire non valeo: quarum tanta est

celſitudo ac affluentiſsima copia, ut longe difficilius ſummopere diuque cogitanti mihi videtur ſub epiſtolari brevitate tam magna perſtringere, quam unde exordiar cogitare. Prætermitto clariſsimam ſui generis proſapiam, incliti ac illuſtriſsimi patris ſui proavorumque ſuorum gloriam, virtutes, atque triumphos, quibus non modo domus hæc glorioſa Monsfeltria illuſtratur, ſed totus iſte Campus Picenus, ac Latium univerſum. Nec iſte, ut multi facere conſuevere, qui majorum ſuorum virtutibus confidentes, nec eas imitari, nec excedere conati ſunt, ſed his dumtaxat contenti, nihil ipſis addidere: Hic vero ſapientium omnium judicio comprobatur, ſplendidum illud lumen, quod ex illorum probitatibus in poſteros redundabat, non ſolum eorum imitando veſtigia conſervaſſe, ſed magis ac magis ab his acceptum propria virtute, ſcientia, dignitatibus clariſsimum reddidiſſe. Prætereo deinde ſæcularia ſtudia, poematum, hiſtoriarum, ac liberalium artium cognitionem, quibus in ipſo ætatis flore accuratiſsimam operam dedit. Illud longe

ad-

admirabilius videri solet, quod in principibus rarum est, ardentissimum sacrarum studium scripturarum. Nec earum lectione solummodo contentus erat, sed ardenti semper divinorum desiderio concitatus ulteriorem explanationem ab iis, qui Theologiam profitentur in Sacris ædibus constitutus devotissime expetebat; & non solum subditis, sed aliis Dominis, inter quos tanquam gemma fulgebat, religionis, & fidei memorabile præbebat exemplar. Quis eo religiosior unquam fuit, qui tanta hilaritate Christi pauperes servos pro caritatis intuitu coleret & amaret? Testis est beatissimi Ordo Seraphici quem Minores profitentur, quibus vivens eorum ecclesias fundando, reparando, ac eorum necessitatibus subveniendo affluentissime eleemosynas erogabat, ac in extremo suæ mortis articulo devotissimum Minorum habitum sumens pretiosum sui corporis thesaurum eorum templo tam humiliter sepeliendum reliquit; super quo Francisci religiosa familia illud Hieronymi de morte Blesillæ enunciare poterit: Plorabo sanctitatem, mi-

sericordiam, innocentiam, castitatem; plorabo omnes pariter in unius morte virtutes. Qualis præterea in eos, qui suis expulsi sedibus, semper fuit motus visceribus charitatis, testes sunt nonnulli principum filii, filiæ, atque consortes, quorum adversos casus intuens pro innata sibi ab incunabulis pietate, propriis eos in ædibus liberaliter substentabat. Taceo ceteros plebejos pauperes, quos propria substantia refovebat, super qua quidem illud eximii, ac devotissimi doctoris nostri Hieronymi venit in mentem. Subvenire pauperibus, visitare languentes, provocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi ceteras non haberet. Eam ob rem, mea magnifica, ac dulcissima mater & domina, omni cum humilitate te suppliciter oro, & precationibus quibus possum obsecro, ut tandem vehementi finem dolori imponas tuo, teque nobis, omnibus filiis, filiabusque tuis solita virtute, atque

ani-

animi firmitate reserves; cum prudentis sit (ut longe dormiens me vigilante melius nosti) adversa non labefactari fortunæ procella, humanos casus æquo animo tolerare, in rebus asperis a propria non recedere dignitate, præsertim cum eum non mortuum, sed viventem dignissime profiteamur. Vivit celebri omnium memoria ex suarum admirandarum recordatione virtutum. Vivit in clarissimis filiis, qui paternæ probitatis hæredes atque imitatores tibi vitæ gratissimum solamen exhibebunt. Vivit postremo in Cælis, ubi beati spiritus laborum suorum præmia sempiterna degustant. Nec de ejus in Domino obdormitione lugere debemus, quem cum Christo coronatum regnare minime dubitamus. Vale. Ex Pisauro die VII. Martii 1443.

Ad Eugenium IV. Pontificem Max. Epistola.

INenarrabili benevolentia, ac dilectione compulsa ejus qui injungere & honesta consuevit, & licet ardua,

quælibet pro sua in me caritate, ac inexplicabili amore potest, sacrosanctæ Ecclesiæ sublimis Pastor, ac Domine, aliquid litterarum tuæ Beatitudini scribere rata sum; idque sine arrogantia actum velim, quia nec opus tam insuperabilis pietatis absque condigna perceptione suscepi. Verebar vero, ac totis artubus contremiscebam, cum inscia, indoctaque puella sim, sanctissimæ Majestati tuæ orationem parum concinne contextam, ac ut verius dicam, perturbatam reddere. Tua equidem clementia, ac facilitate confidens, malui ignorantiam, imperitiam, ariditatemque sermonis ostendere, quam inobedientiam timore perfusa; ideoque hoc munus multa cum hilaritate, atque jucunditate suscepi. Ad Petri namque Cathedram, ad Domini Vicarium, & ad rectorem totius militantis Ecclesiæ pro animarum salute semper præsidium censui flagitandum. Te igitur & oro, & obsecro, & per vexillum Domini obtestor, ut filium tuum Galeatium Malatestam, avum vero meum venerabilem, quem genitoris loco habeo, ad

gre-

gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ redire gestientem tua solita benignitate suscipias, & pro eo quod temporale est, temporalem pœnam adhibere digneris; &, ut Hieronymus inquit, Dive Pastor, morbidam non contemnas oviculam; nec custos animarum gregem tuum luporum morsibus dilacerandum deseras. Noli igitur (imo absit hoc a tua Beatitudine sacrilegum nefas) quod anima pretioso Domini sanguine redempta, te assentiente, a perennis vitæ postibus arceatur, & ad impia tartara destinetur; & membrum hoc virtute generosum a Christi corpore decisum, & a communione fidelium segregatum esse non libeat. Exaudi quæso, nec puellæ despicias preces, præsertim cum justa jam postulem; & servo tuo prænominato benedictione Apostolica pro tua innata suavitate, & facili in omnes mansuetudine restituas precor; & Hieronymo attestante, noli despicere animam pro qua Christus mortuus est. Non enim inscia sum, te humanitatis summæ Principem esse, adeo ut si omnes partes, artus, sensusque mei lingua uterentur humana, mi-

nimam virtutum portionem tuarum debitas in laudes extollere non valerent, juxta illud Ciceronis: Nullius tanti flumen ingenii eſt, nulli dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, qui non dicam exornare, ſed enarrare res tuas geſtas poſsit. Eam ob rem Sanctitatem tuam imploro per opportunum Catholicæ Fidei fundamentum, ſi pietatis es judex, ut placeat hac pro re puſilla impietatis tetra & indigna tui nomina vindicare. Præterea Rodulphum Varaneum, fratrem meum unicum, qui una mecum piiſsimo quondam parente orbati ſumus, pro caritatis intuitu omnibus precatibus, quos poteſt lingua humana profundere, meque indignam Servulam ampliſsimæ celſitudini tuæ commendatos favore protegas ſalutari. Vale.

Conſtantia Varanea Iſotæ Nogarolæ
S. P. D.

CUm elegantiſſimas epiſtolas tuas, Iſota eruditiſſima, ſæpenumero perlegiſſem, quæ Romanorum priſcam

scam illam redolent dignitatem, ubi quæ & sententiis, & verbis exornationes conveniunt, omnes tuam irradiant dictionem; . . . . . stilo orationis commota quanto tui amore afficiar significare litteris meis: quamquam & id parum concinne tum pro ingenii tenuitate, tum quia in eloquentia parum admodum versata sum. Quid dico versata? cum vix primum aditum ingressa sim; tibique ipla gratulor, quæ ad summos apices usque venisti magno cum tui nominis splendore ac gloria. Nihil enim conducibilius, ac magis frugiferum dominabus esse potest, quam, posthabitis corporis commodis, ad ea tendere summo conatu, quæ non possit labefactare fortuna. A teneris habuisti unguiculis illam Lactantii Firmiani sententiam: *Qui bona*, inquit, *negligunt animi, & corporis appetunt, in tenebris, ac morte versantur*. Illud item ex Cicerone nostro notaveris in Officiis: *Omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, decipi, & nescire, malum & turpe ducimus.*

mus. Quod perspicuum illum oratorem Quintilianum non fugit in sua Oratoris Institutione: *Nam sicut aves ad volatum, equi ad cursum, & ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis est quædam, ac propria mentis agitatio, atque solertia*. Has omnes sententias diligenter in pectore collatas semper ipsa servasti. Unde fit, ut non impar judicanda sis superioribus illis dominabus doctissimis, quarum illa ætate non parva fuerat multitudo; quales fuere Aspasia, Cornelia Scipionis, & aliæ, quas non est hic numerandi locus. Tenes enim hæc longe me ipsa melius, quæ non parvo temporis curriculo in studiis viguisti. Quanti ego te faciam non possum verbis exprimere, longe melius mente teneo; nihilque esse tibi velim persuadeas quod ad cumulum dignitatis tuæ pertineat, quin illud pro viribus me sponte pollicear susceptura m. Vale.

Ma-

Magnificæ ac Illustri Dominæ Cæciliæ de Gonzaga

Constantia Varanea S.P.D. & Optat.

QUamquam innumerabilium virtutum tuarum, eruditionis ingenuæ atque eloquentiæ singularis incredibili admiratione perterrita, potius ambiguæ taciturnitatis extremum, quam loquacitatis vitium prosecuta sim; tamen tua prudentia, ac mutuæ consanguinitatis vinculo confidens, huic meo diuturno silentio ipsamet finem imponere mihi persuasi. Non parum nempe, imo vehementissime mihi videor errasse usque adeo, ut objurgationem acrem, magis quam excusationem benignam me fatear meruisse. Illam enim benevolentiam, spem, caritatemque tuam, quam ab incunabulis usque, nullis meis in te meritis, sed tua mansuetudine consecuta eram, crebris epistolis non servavi. Nunquam amœnissimi mores tui ex cordis penetralibus evanescent, sed semper tenacissime hæreant necesse est;

est; nec meum in te affectum ulla unquam longævæ vetustatis edacitas mea poterit de mente subripere. Meæ vero insciticæ, ruditatisque rubor, ac tuæ ineloquibilis virtutis, ac rhetoricæ non parva cognitio, ne citius scriberem, moram attulere non parvam. Expectabam magis ornatum mihi stilum in mentem venturum: nec tamen meam rusticitatem sermonis, ac ariditatem contegere cupiens istud egi; sed quod placidissimas aures tuas, quæ epistolas dulcissimo, accuratissimoque stilo orationis conscriptas audire consuetæ sunt; his meis nugis obtundere verebar. Modo videns non satis exacte scribere posse, me totam in humanitatis tuæ brachia projeci, & illustri celsitudini tuæ incomptas litteras, quibus jejuna verba tumultuariæque sententiæ continentur, ne omnibus ingratitudinis titulis esse videar insignita, destinare constitui, quamquam pluribus decursis temporibus meum in scribendo officium persolvere in animo posuissem. Verum iniquus languor, adversaque valetudo meæ Magnificæ Genitricis ab istis exer-

exercitiis mentem abstulit, ideoque animus curis, & variis angoribus involutus ab litterarum studiis abhorrebat. Nam XI. Kal. Majas inopinatus, obscurus, & lacrymabilis casus accidit, obitus videlicet Reverendissimi in Christo Patris, & Domini D. Pandulphi Archiepiscopi Patras, cujus prudentia hæc ipsa civitas justissime gubernabatur: Unde factum est, ut lacrymis, ac dolori inconsolabili dedita litteras post terga rejecerim. Excidebat de manibus calamus, nec una duntaxat sententia meam poterat in mentem venire, adeo mens inventionis inops tunc erat mea. Nunc autem quam minus male potui, pristinis reassumptis viribus, hanc epistolam admodum inornate contextam reddere arbitrata sum. Tuas igitur tam inusitatas, tam illustres, tam denique pene divinas, ut ita loquar, virtutes exponere prætermitto, quæ non epistolæ brevitatem, sed libri volumen efflagitarent, juxta illud Maronis:

Ante diem clauso componet vesper Olympo &c.

Video me longius evagari quam opus esse

eſſe opinata fueram, quamobrem finem verbis imponere rata ſum, te ſuppliciter orans, & obſecrans, ut ſiquid incultum, inexpolitum, inornatum invenies, id non dedigneris emendatum, limatumque reddere. Quod ſi facies, mihi perjucundiſſimum erit. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI FACII
IN
LAURENTIUM VALLAM
INVECTIVÆ.

LE

LE *Invettive di* Bartolommeo Facio *contro* Lorenzo Valla *ſono ſtate sì profondamente ſepolte nelle tenebre, e per tanto tempo poſte in obblio, che varie ſono ſtate circa le medeſime le opinioni degli Eruditi del noſtro ſecolo. Tal volta ſi è dubitato dell' atteſtazione di Poggio, tal' altra credendole interamente ſmarrite ſi ha voluto vanamente indagare il motivo della controverſia tra queſti due valentuomini, congetturandolo dai quattro libri del* Valla, *intitolati:* Recriminationes adverſus Bartholomæum Facium. *Or noi, per favore, del Signor* Barrotti, *in cui non ſapremmo qual più commendare, ſe l'erudizione, o la gentilezza, abbiamo il contento di rendere in queſto propoſito ſoddisfatte le brame de Letterati, nè crediamo pubblicandole di ſcemar punto alla fama immortale, che ſi è il* Valla *acquiſtato con tante eccellenti Opere, mettendoſi con queſte invettive in comparſa le debolezze, che il* Facio *ha ſcoperto nella Storia che ſcriſſe dei fatti del Re Ferdinando d'Aragona. Oltre che di queſt'Opera del* Valla *uniforme a quello del* Facio *è ſtato il giudizio di altri dot-*

dotti Uuomini (a), noi crediamo doversi posporre questo scrupolo all' utilità molta, che ne trarranno gli Eruditi per le copiose notizie che contengono appartenenti alla Storia letteraria. Abbiamo bensì credute cosa opportuna per minor tedio dei leggitori, dopo aver recato un saggio della severa Critica circa l'elocuzione e la pura Grammatica, ommettere gl'infiniti altri luoghi di cotal fatta, censurati e corretti, che sono la materia della seconda e terza Invettiva; e così della prima e dell' ultima (poichè in tutte son quattro) formarne come una sola continuata e coerente.

(a) Giornal. de Lett. d'Ital. Tom. XI. pag. 314.

BARTHOLOMÆI FACII

IN

LAURENTIUM VALLAM

INVECTIVÆ.

(a) LInguæ tuæ petulantiam, & maledicta, Laurenti, sæpenumero ridens præterii, & æquo animo ferenda duxi, modestiæ meæ magis quam maledicentiæ tuæ ratione habita, meque sustinui ad hunc diem, ne quid omnino in te scriberem; quod mihi persuadebam fore, ut ab ista insania ad sanitatem animum aliquando revocares. Verum cum videam furorem tuum in dies augescere, nec maledictis, & obtrectationibus a te finem statui, teque per contemptum patientia mea abuti; vicit tandem constantiam mea temeritas tua, ut me longius continere nequiverim quin tibi meritas gratias referam. Et sane nondum tela e pharetra mihi depromenda existimassem, nisi tam impuden-

(a) Ex Invectiva I.

denter coram inclyto Rege noſtro in tot clariſsimorum procerum, virorumque conſeſſu te locutum de me eſſe nuper accepiſſem; apud quos cum in *Antonium Panormitam*, virum ingenio, doctrina & exiſtimatione præſtantem pro tua conſuetudine invehereris acerbius, & ille a te laceſsitus me forte nominaſſet, ea de me dicere non te puduit, quæ ne de indoctiſsimo quidem homine ſine ſummo rubore quiſpiam ſanus diceret. Sed profecto Regis cauſa minus graviter eam rem tuli, qui pro ſua ſumma ſapientia, ac ſingulari judicio ſatis intelligit quanti ſis, quantumve abſis ab eo viro, quem te facis. Ceterum id fuit multo gravius, ac moleſtius quod illud perſuadere conatus ſis aliis quibuſdam qui aderant, qui propter parvam litterarum ſcientiam non tam bene, neque tam recte poſſunt de hominum ingeniis, ac ſcientia judicare. A quibus ſcis quomodo ſuſcepta eſt, te ipſo prædicante, ac refellente nullo, falſa quædam de te opinio, quam profecto ſi quid in me erit in dicendo facultatis, totam evertam atque eruam. Patefaciam

ciam igitur in primis tuam litterarum ignorantiam, & quidem manifestissimis argumentis, rebusque a te scriptis convincam nec Rhetorem esse te, nec certe Grammaticum, quod est multo vitiosius in eo homine, qui sublimiorum rerum, atque artium studia consectetur; ut posthac fallere indoctos homines ista futili vaniloquentia, & loquacitate desinas, ac probos homines infectari. Post id aliqua de moribus tuis perstringam, in quo si modestiæ leges, & consuetudinis meæ terminos excessero, certe mihi verendum non puto, ne qui legerint, cognita præsertim impudentia, & temeritate tua, me reprehendant, aut vituperent: atque hujus nostræ contentionis judicem mihi statuo Regem nostrum, qui cum multarum litterarum lectione optimo sit, ut dixi, gravissimoque judicio, facillime his de rebus judicare poterit; nisi forte ejus judicium contemnis,& respuis, ac alium judicem desideras. At ne sim longior, opera tua bellissima videamus. Scripsisti res gestas Regis Ferdinandi, patris hujus summi Regis nostri, sed eas

ita

ita barbare ſcripſiſti, ut ſi pudoris quidpiam in te foret, erubeſcendum tibi eſſet in conſpectu Regis prodire, cujus patris res præclaras ſumma interdum levitate turpificas. Percurri primum duntaxat librum, & in eo plus quam quingentos errores reperii, alios circa latinitatem, alios circa explanationem, in quibus te principem facis; alios circa hiſtoriæ dignitatem, atque artem. Nec dum tamen omnes adnotare volui, quum nunquam eſſet inventus labori meo finis, ſed tantum inſigniores, & qui ne in puero quidem tolerandi eſſent. Quos putarem forte negligentia quadam cecidiſſe, niſi ſcirem a te ſæpius in hujuſmodi rebus erratum eſſe, quem, me teſte, & contradicente, defendere non puduit, nec a *pendo*, *dis*, præteritum *pependi*, ſed *pendi*: nec a *frigeo*, *ges*, *frixi*, ſed *frigui* fieri; & a *parco*, *cis*, *parcitum* ſupinum, & ex eo *parciturus* participium trahi. In qua quidem hæreſi te adhuc perſtare deprehendi in hoc tuo præclariſsimo opere. Præterea *ſiſto*, *ſtis*, *ſtatum* ſupinum facere, cum auctore Priſciano, nullum ex eo neque in *ſter-*

to oriatur ſupinum, ducaturque *ſtatus*, *ſtata*, *ſtatum*, eodem Priſciano teſte, a *ſtatum* ejus verbi ſupino, quod eſt *ſto*. Illud vero eſt omnium vitioſiſsimum, quod dicis *horreſco*, *horrui* præteritum mittere, & inchoativa præteritum habere, cum ſolum *deſcio*, auctore Priſciano, præteritum *deſcivi* faciat. Quod tamen, & id veriſimilius, cum cetera ejus formæ verba præteritis careant, a *deſcio* magis fieri putat. His omiſsis ad operis tui diſquiſitionem veniamus, quod majori ſtudio, & cura excogitaſſe, & confeciſſe te veriſimile eſt, quam ea, quæ diſputationis cauſa aliquando in medium protuliſti, ut quo ingenio, quave doctrina ſis & eloquentia, a doctis hominibus judicari poſsit. Quod opus dicere non potes a te non eſſe editum, cum illud jam Regi obtuleris, & in ejus bibliotheca jampridem reponendum dederis. Primo autem loco quod ad elegantiam; ſecundo quod ad dignitatem hiſtoriæ, & ad artem attinet, errata tua demonſtrabo. In operis tui titulo, qui eſſe debet ab omni vitio purus, & integer, ſic ſcribis:

Tres

Tres libri hiſtoriarum Ferdinandi quæ geſſit. Ut enim omittam quod ad explanationem attinet, in latinitate abs te vehementer peccatum eſt. Antecedenti enim, quod eſt fœminini generis relativum neutri generis reddidiſti, quod & turpe eſset puero prima elementa diſcenti.

Europam tertiam terrarum Orbis partem fere traditum eſt, eamque Africa haud multo majorem, quam Aſia minorem. Magiſtrum te grammaticæ profiteris, & igroras hoc latine dici non poſſe. Ut enim dicimus, Cæſar quam Pompejus felicior fuit; ſic dici neceſſe eſt, ſi infinito uti volumus, quod ante ſe quartum caſum poſtulat: dico, Cæſarem feliciorem fuiſse quam Pompejum.

Horum lingua ſimilior eſt Mediterraneis Caſtellanis, quam Catalanis, aut Valentinis. Magis latine ſi dixiſses quam Caſtellanæ, aut Valentinæ, quum ſubaudis linguæ, non hominibus aut linguis.

Quibus ob ſpem potiendi oppidi hactenus parcitum erat. Numquam ulla ratione abduci a pertinacia tua poteris

quin perſtare in eo velis ut *parco*, *cis* contra Priſciani auctoritatem, & omnium veterum, ac juniorum uſum, *parcitum* ſupinum faciat, cum a *parſi*, *parſi*, *parſum*, a *peperci* vero nullum oriatur ſupinum. Livius XXV. ab Urbe condita: *nedum Capuæ parſuros credam.*

Res primo proſpere ire, neminem prædatoribus cum armis obviam ſe ferre, paſtores, & eos raros ad primum incurſum diffugere. Nec hoc quidem tacebit Parmeno. Eſt enim maximum vitium, & puerilis error. Quæ enim per rectum caſum efferre debuiſti, ea nomina per accuſativum protuliſti. Sic enim latine dicendum fuit: Res primo proſpere ire, nemo prædatoribus obviam ſe ferre, paſtores & hi quidem rari diffugere. Hic enim modus infinitus per præteritum imperfectum indicativi modi reſolvitur, ut ſit ſenſus: Res primo proſpere ibant, nemo prædatoribus ſe obviam ferebat, paſtores & ii quidem rari diffugiebant.

Tubicines autem cum fremitus hoſtium, ac tumultum miſceri cœpiſſet. Ego ſemper *hic tumultus* maſculino genere legi; ru[illegible] vero ubi *hoc tumultum* repereris ne-

ſcio,

ſcio, ſed illud magis puto ſomnia veris; quod etiam ſicubi reperiatur, fugiendum eſt ut obſoletum.

Per id tempus temptata. Ubique hoc participium per *m.* & *p.* litteras ſcribis, neſcius illud non a *temno*, ſed a *teneo* duci, quod ſupinum facit *tentum* per *n.* ſolam. Sic etiam *tento*, *tas* abſque *p.* ſcribi debet, quod ipſa verbi ſignificatio demonſtrat. Tentare enim experiri eſt, vel inquirere, & verbo, vel re quaſi manu tenere. Cic. in Paradoxis: *Tentare volui an ita dici poſſent, ut probarentur.* Idem in Officiis: *Tentata res eſt ab omni genere hominum.* Virg. in 2. Æneidum: *Vix primi prælia tentant portarum vigiles.* Idem in 4. *Tentaturus aditus, & quæ molliſſima fandi tempora.* Nam ſi a *temno* veniret, ſpernere utique, non experiri, aut exquirere ſignificaret.

Supter dextrum femur. Supter per *p.* enuncias quod per *b.* apud veteres ſcribitur, & apud eruditos ætatis noſtræ.

Ut dimidium regni qua parte ad hoſtes objectum eſt velut fiduciarum pignus cedat. Fidei non fiduciarum a te dicendum fuit; fiduciam enim non pro fi-

de, ſed pro animi fortitudine a ſanis hominibus uſitatum invenies, grammaticorum princeps.

In cervicibus ſuis imminentem. Male uſus es ablativo caſu; non enim hic loci imminet in capite meo, ſed capiti meo dicimus, ſi grammatice loqui volumus.

Quos dux ipſe putavit ſupticendos, ego quoque ſupticebo. Tu utrumque per *p.* litteram, Theutonicorum more, ego vero per *b.*, antiquorum more, enunciandum puto, quem errorem ubique ſervas. *Sub* enim, cum componitur cum dictione incipiente a *c.* vel *f.* vel *g.* vel *m.* vel *p.*, in eas tranſit litteras, ut *ſuccurro*, *ſufficio*, *ſuggero*, *ſummitto*, *ſuppeto*; in reliquis vero manet integra, auctore Priſciano. Sic dicimus *ſubblandior*, *ſubduco*, *ſubjicio*, *ſubruo*, *ſubtrabo*, licet Quintilianus dicat *b.* ſequente *t.* ſonum *p.* litteræ habere, quod non debet mirum videri, cum Cajus, Cneus, & Amurca, ut placet Servio, quamvis per *c.* litteram ſcribantur, tamen per *g.* proferri debeant.

Excitabatur machina duodeviginti carris impoſita procerum ſcalas ſuſtinens.

Tu

Tu qui grammaticus es, & tot millia librorum, ut dicis, evolviſti, profecto ignorare non debuiſti *ſcalas* ſingulari numero non proferri, ſed plurali tantum, ut *minas*, & *calendas* dicimus. Saluſtius: *Poſtquam unæ, atque alteræ ſcalæ comminutæ ſunt, qui ſuperſteterant afflicti ſunt.*

Ut ſtante intra intimam foſſam machina procumbens ſcala. Rurſum indocte in ſuperius vitium incidiſti; *nam procumbentes ſcalæ*, non *procumbens ſcala* dicendum fuit.

Horum incolæ circiter ad tria millia. Non *circiter ad tria millia*, ſed vel *circiter tria millia*, vel *ad tria millia dicendum fuit.* Cum *ad*, & *circiter* in hiſtoria idem ſignificent.

Gnave acta opera. Licet grammaticæ regula *grave* adverbium, & *ignave* dici velit, tamen *graviter*, & *ignaviter*, ſicut a *firmus firmiter*, & a *durus duriter*, uſus tenuit auphoniæ, ut arbitror, ideſt aurium ſuavitati conſulens.

Et principio quidem cuniculi uni erant. Et hoc quoque ex illa tua Laurentiana grammatica depromptum eſt, qui ignoras non poſſe dici *unos cuniculos*,

cum *cuniculum* ſingulari numero dicamus. Vegetius: *Inventum eſt remedium per noctem ſub fundamentis muri cuniculum fodi*. Item alibi: *Aliud genus expugnationis eſt ſubterraneum, atque ſecretum, quod cuniculum vocant a ſeporibus, qui cavernas ſub terris fodiunt, ibique conduntur*. Sic & Cæſar ſcriptor elegantiſſimus: *De tertia vigilia animadverſum eſt aggerem fumare, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant*. Sic Curtius: *Ultima peſtis urbis fuit cuniculo ſubrutus murus, per cujus ruinas hoſtis intravit*. Idem: *Cuniculo ergo ſuffoſſa mœnia ingens nudavere ſpatium*.

Iterque inter eos reges fere convenit veluti conſpiratos. Si grammaticus eſſes, non utique conſpiratos Reges, ſed conſpirantes dixiſſes; non enim a *conſpiror*, quod deponens non invenio, ſed a *conſpiro* neutro *conſpirans* fit, cujus ſimplex neutrum eſt, non activum.

In caſtra verſus. Nunquam apud hiſtoricos reperii hujuſcemodi barbariem, ſed vel *verſus caſtra*, vel *in caſtra*, vel ad *caſtra* ſæpius; & hoc vitio uteris pene omnibus in locis ignarus quam vim hæ præpoſitiones habeant.

Quæ

Quæ ſit ingenii tui, atque eloquentiæ tuæ vis mihi ſatis demonſtraſſe videor; nunc ut de moribus aliquid dicam, quæ ſit imprudentia tua, atque intemperantia tua paucis docebo. Imprudentia quidem ea eſt; imprudentia ne dicam, an dementia? ut neſciam quo pacto poſſit eſſe major. Nam cum prudentiæ prima pars ſit ſe ipſum agnoſcere, proxime alios, tu certe nec te ipſum, nec alios agnoſcis, ſed de te uno quam optime exiſtimas, ceteros omnes contemnis, ac negligis. Non legiſti Delphicum illud, ut opinor, cælitus demiſſum, quod latine interpretatum *noſce te ipſum* deſignat; vel ſi legiſti, utique negligendum putaſti. Altera pars imprudentiæ tuæ eſt, quod cum putes te ſolum ſcire omnia, incognita pro cognitis plerumque habes, & ob eam rem in maximis perſæpe verſaris erroribus. Ex hoc imprudentiæ fonte manat illa tua obſcuriſſimarum, & infructuoſarum artium pererratio, quæ res quantum a prudentia remota, quamque diſtracta ſit, Senecam unum auctorem affero. Voluiſti omnia artium, & ſcien-

tiarum genera percurrere, nec huic, nec illi insistens, sed modo hanc, modo illam olfaciens, tanquam apis, quæ ex omnibus floribus nullum omnino relinquit intactum: quamquam illa hoc te præstantior, quod facit mella dulcissima, cum tu favos sardoniis herbis, vel absinthiis amariores effingas. Sed de imprudentia satis dictum sit. Quid autem de temperantia dixerim, ex qua temeritas, arrogantia, impudentia, ac maledicentia nascuntur? quæ omnia in te insignia esse perspicuum est. Potest ne esse, aut excogitari quispiam ex omni hominum numero magis temerarius, qui eousque ineptiarum progressus, ut nullo respectu, nulla ratione personæ, loci, & temporis habita inter colloquentes serio te ingeras, interpelles, sermonem seras, sententias eructes? Quotiens ego te vidi, legente *Antonio Panormita*, eruditissimo viro, Livium apud hunc excellentissimum Regem nostrum, ceteris qui aderant per summum silentium audientibus illum, a te interpellari, & molestas disputationes a te inferri, nec tempori certe, nec

nec loco consentaneas? Ut sæpe miratus sim tam patientes esse Regis aures quin te sublimem rapi, ac loris cædi tanquam loquacem, ac molestum interpellatorem jusserit. Decantantem in compitis fabulosa nemo est, qui interpellet, nemo, qui maledictum arguat. Tu doctissimum hominem de seriis, ac maximis rebus legentem interrumpes? Nescis, imperite, nescis adstantis officium esse per silentium audire? Aut discere certe vis, aut docere. Si discere, silendum est. Si docere, ridiculus es, qui eum docere velis, qui Regem doceat, quive ut illum doceas nihil postulet. Hujus temeritatis loquacitatis, & intempestivæ interpellationis tuæ, quando per imprudentiam peccares, admonere te saltem debuit reliqui conventus taciturnitas. Quemnam enim vides in toto consessu, & circumstantium cœtu, nisi interrogante Rege, præter te unum, lectorem interpellare? Disce igitur ex aliis modestus esse, si potes, & linguæ tuæ frænum adhibe. Sed certe hoc mihi nunquam concedes propter innatam arrogantiam tuam, quæ eo usquæ

tos errores correxiſſe gloriaris, cum tu ipſe, ut paulo ante oſtendi, grammaticam ignores. Ciceronem, e cujus cerebro eloquentia nata dici poteſt, ut Jovis cerebro Minervam illam ajunt, in traditione præceptorum artis multos errores commiſiſſe prædicas, quin etiam in eum imprudenter auſus es invehi. Ariſtotelem quoque petulantiſſimis verbis lædis, quem dialecticæ neſcium fuiſſe dicis. Quam quidem ſcientiam ante omnes, quas tenuit, & de quibus tradidit, ſciviſſe dicitur. Nec Livio quoque pepercisti, cum neſcio quam Hiſtoriam de Tarquiniis non ſatis ſciſſe oblacteras. Boetium quoque eruditiſſimum virum mordere auſus es, illum de prædeſtinatione male ſenſiſſe arguens. Nec a Juriſconſultis quoque abſtinuiſti, Bartholum virum ſapientiſſimum exiſtimatum inceſſens, & jus civile perperam ab eo interpretatum aſſerens, in quem cum invectivam quamdam Papiæ ediditſes, ab iis, qui legibus operam dabant, diſcerptus fuiſſes, niſi te e Templo quodam elapſum, & mori velle clamitantem *Antonius Panormita*

mita ejus intercursu ex illorum manibus eripuisset. Augustinum quoque, sive Hieronymum, quibus nihil habet religio nostra præstantius, carpis, nec verbis modo, sed etiam scriptis erratum a se dictitans. Denique nec vivo, nec mortuo cuique parcis, scilicet in id studens, ut tibi ex aliena vituperatione laudem vindices. Me vero, ut aliquid etiam de me dicam, qui nullam tibi injuriam feceram, quod sciam, conviciis insectaris, minutissimum appellans inter minutissimos. Fateor me quidem corpore minuto esse, te vero ingenio, animoque, & cerebro diminuto. Sed ut Hortensii ad Torquatum verbis utar, qui illum Dionysiam saltatriculam appellabat, sic minutus esse malo, quam quod tu, Laurenti, quem grammatici contemnunt, oratores irrident, philosophi floccifaciunt, theologi damnant, imo vero igni subjiciendum judicassent in episcopali Templo, cum de te ut de hæretico, & de fide male sentiente existimarent, nisi supplex, monentibus quibusdam misericordia commotis, errorum tuorum veniam a judicibus

bus petere festinasses. Si quis autem in conventu aliquo sermo habetur, continuo sermonem ad laudem tuam refers, opera tua extollens, aliena deprimens, tua solum legenda jactitans. Elegantiarum, inquis, librum composui, in quo (utar enim verbis tuis) sunt duo milla rerum, quæ non erant notæ nostris, nisi ego fuissem. Repastinationem dialecticæ, & philosophiæ edidi, quæ Laurentiana appellatur, quæ anteponenda est omnium dialecticorum, & philosophorum scriptis. Sed, dic quæso, unde istas disciplinas didicisti? Num ab his, quos damnas, an a te ipso? Si ab his, quos vituperas; at tibi turpe est eos contemnere, a quibus didiceris. Si vero a te ipso, & sine præceptore, ut ipse prædicas, scientia ista tua omnino nulla est. Librum de summo Bono conscripsi, quo nihil est scriptum hac nostra tempestate illustrius. Alia insuper multa effeci, quæ summo usui sunt non solum mediocribus, sed etiam doctis hominibus. O elegantissimum elegantiarum scriptorem, qui cum ipse nec dicere, nec scribere elegan-

ganter scias, tamen de elegantia tradere præcepta audeas. *Repastinationem* Logicæ, & Philosophiæ condidisti, nomen mehercule operi conveniens; tu enim cum arator magis quam orator sis, logicam identidem ut vitem repastinari putasti, in qua quidem tot peccata abs te commissa audio, ut plura prope errata quam verba insint; quamquam si quæ sunt, quæ laude digna videantur, aliena sunt omnia. Librum de *Summo Bono* te scripsisse gloriaris, qui quidem a patruo tuo docto homine, ut accepi, conditus fuit, quem tamquam fucus labores apum devorans in alvearia tua, mutatis quibusdam verbis, furtim conjeciisti: quamquam in furto deprehensus es, cum forte *Antonii Lusci*, qui in eo opere a patruo inducebatur, nomen delere forte oblitus esses. Quod idem de *Homeri traductione* effeciisti. Cum enim opus illud latinum factum sciisses Florentiæ esse, & in *Nicolai Nicoli* Bibliotheca visum, paucis quibusdam permutatis; permutatis ne dicam, an perversis? tuum efficere voluisti. Sed tibi parum creditum

est,

est, præsertim cum sint qui intelligant quam minimum græcarum litterarum teneas. Crede mihi, crede mihi, inquam, Laurenti, sunt judices, qui tuam insolentiam non ferunt. Cum in aliquo cætu es, ubi nullus sit græcarum litterarum doctus, continuo græcisas; ubi græcus quisquam supervenerit, latinisas. Ita fit ut inter græcos latinus sis, inter latinos græcus, inter utrosque neuter. Peream, nisi malim penitus ignorare litteras græcas, quam illarum tam parvam quam te, scientiam attigisse, quibus ne aspersus quidem es, ut si quis a te petat quomodo τύπτω verbum declinetur, ignores. In æde sacra libellum græce scriptum legis, spectante populo, ut vulgo græce doctus esse videaris. Et tamen quamvis res ita se habeat, tanta est in te pudoris inopia, ut Græcorum veterum more de quacumque materia, & scientia te in publico disputare velle alias proposueris, cum apud quæsitorem accusatus esses. ..... quamvis hominem secum attulit ad nos, grammaticus, rhetor, geo-

geometres, pictor, aliptes, augur, scharnobates, medicus, magus omnia novit. Quid illa tua in disputando pertinacissima contentio, quæ tanta est, ut nullis unquam rationibus te vinci sinas, nunquam alicui cedas, omnes mortales te uno inferiores virtute ducens? Quin etiam si intelligis alienam sententiam meliorem esse quam tuam, tamen ea est pertinacia tua, ut malis in opinione tua impudenter persistere, quam errorem tuum, atque insciti am confiteri; quod quidem a sapientia dissidet plurimum. Sed quid ego plura de ineptiis tuis nunc proferam? quarum profecto nunquam posset exitus inveniri. Illud unum si dixero, quod plane reticere non possum, huic parti finem statuam. Quidnam illud est, o arrogantissimum hominem? Ausus es profiteri apud Regem, dum legeretur, & apud quem Regem? Regem inquam summæ sapientiæ, summique judicii, te emendaturum omnes depravationes, quæ in operibus Livii librariorum vitio ceciderunt. Quod nec Aretinus, nec Guarinus

nus, nec ante eorum ætatem Franciſcus Petrarcha, nec multi alii noſtræ ætatis doctiſſimi viri corrigere auſi ſunt, id tu homo indocte corrigere audebis? Si corrigere liceat proprio arbitratu, atque judicio, quod a te fieri intelligis, quot cenſes eſſe, qui te hac parte ſuperarent, a quibus ingenio, & eloquentia vinceris? qui pudore, ac modeſtia id facere deſinunt. Sed neſcis adhuc, ut video, qua ratione textus corrigendi ſint. At ego illud oſtendam & gratis. Oportet enim in emendando aliquo depravato, ut ſimilitudo, & numerus litterarum conveniat. Sed quid ego hæc ad te? qui cum nihil recte ſcias, omnia te rectiſſime tenere non ſolum putas, ſed etiam gloriaris. Quanta vero impudentia ſis quamvis ex ſuperioribus ſatis declaratum ſit, atque omnibus notum, tamen hoc unum abunde teſtatur, quod quamvis ſæpius apud Regem, & alios pleroſque clariſſimos viros tuorum puerilium circa latinitatem errorum convictus fueris, tamen non erubeſcis quotidie eodem reverti, & de his, quæ leguntur, diſputare cum

cum magno aſtantium riſu, quorum alius te ut imprudentem, alius ut impudentem, alius ut temerarium, & inſanum increpat. Fœminæ impudicæ perſimilis, quæ amiſsa ſemel pudicitia, ore, ut dici ſolet, pro clypeo utitur. Nec mirum, nam *quis peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit ejectum ſemel attrita de fronte ruborem?* ut ait Satyricus noſter. Sed deſinam hoc loco plura de vitiis dicere, quæ quidem ipſe corporis motus clare indicat. Arrecta cervix, lingua loquax, geſticulatrix manus, greſsus concitatior. Recognoſce igitur aliquando te ipſum, ut, te ipſo cognito, alios non negligas, ac tandem temeritate, inſolentia, maledicentia, & impudentia depoſita modeſtus, & temperans eſse diſce, cujus conſuetudinem, vides, omnes viri boni aſpernantur, atque ut veſanam effugiunt. Hæc ego abs te laceſſitus, Laurenti, licet invitus, ac præter naturam, & conſuetudinem meam ſcribere ſtatui, ut ſi quam mihi detrahendo voluptatem ebibiſti, hanc totam male de te legendo evomas.

(a) Er-

e quello, di cui Stazio *Sylv. lib.* 4. *v.* 74.

Et mitem Genium Domini præſentis adoras.

Nelle preghiere ancora interponevano il Genio. Orazio *Epiſtol. lib.* 1. *v.* 434. *Epiſtola* 7.

Quod te per Genium, dextramque Deoſque Penates
Obſecro & obteſtor, vitæ me redde priori.

E Tibullo *lib.* 4. *v.* 293. *Eleg.* 5.

Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.

Anzi lo ſteſſo Genio veniva pregato, onde ſiegue tantoſto:

Magne Geni, cape thura libens, votiſque faveto

e più ſotto, cioè *v.* 304. lo chiama *Dio Natale*, perchè in tal dì culto, e perchè Dio di noſtra naſcita:

At tu *Natalis* quoniam *Deus* omnia ſentis, Annue.

Ma il giurare pel Genio era aſſai praticato. Seneca *Epiſtola* 12. diceva del

ſuo

suo Castaldo: *Jurat per Geniam meum se omnia facere*. Marziale *lib. 7. v.* 84. giura pel Genio della Fama. Hoc juro potentis *Per Genium Famæ*. Il più sacro però era pel Genio de' Prencipi. Tertulliano *lib. ad Scapul. c.* 2. *Qui per Genios eorum in pridie usque juraverant*. Onde per distinguersi da' Gentili, i Cristiani ciò non facevano. Lo stesso *in Apolog. c.* 32. *Sed & juramus sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ augustior est omnibus Geniis*. Caligola molti nè punì sol perchè, dice Suetonio *in eumd. c.* 27. *nunquam per Genium suum dejerassent*. Il giurare pel Genio del Prencipe era più propio de' Soldati. L'osservò da Vegezio il Beroaldo sopra quel d'Apulejo *lib.* 9. *Militaris Sacramenti Genium ob amissam Spatham verebatur*, e l'accenna lo stesso Apulejo *l.* 9. *Contra Milites, ibi, nec uspiam, illum delitescere, adjurantes Genium Principis, contendebant*. E che questi fosse il giuramento più sagro, lo dice Tertulliano *in Apolog. c.* 28. *Citius denique apud vos per omnes Deos,*

quam per unum Genium Cæsaris pejeratur. E. Minuzio Felice *in Octavio*: *Est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam Regis*. E con ciò sia fine alla Lezione del *Genio*.

JO-

JOSEPHI AVERANII

J. C. & in Piſana Academia
Anteceſſoris

D E

CALCULORUM SEU LATRUNCULORUM

L U D O

DISSERTATIO.

DI Giuseppe Averani *Fiorentino abbiamo alla luce due Tomi stampati in Ollanda col titolo* Interpretationum Juris &c. *e le* Lezioni sopra la Passione di N. S. Gesù Cristo *uscite in Pesaro nel* 1738. *Fra le operette sue inedite, che molte sono e tutte nel suo genere singolari, vennero a nostra notizia le seguenti*: De Ludis veterum Græcorum & Romanorum * De Lampadum Ludo * In Virgilium Dissertatio Critica * Lezione sopra le Cene degli Antichi * Lezione sopra le Navi degli Antichi; *e questa che noi pubblichiamo*, De Calculorum seu Latrunculorum Ludo. *Celebre niente meno di suo fratello* Benedetto, *professò la ragion Civile pel lungo corso d'anni cinquanta tre nell'Università di Pisa; al qual carico era egli stato eletto nella fresca età d'anni venti due. Morì in Firenze l'anno* 1738. *e fu sepolto nella Chiesa di S. Marco de' PP. Domenicani. La sua Lapida sepolcrale contiene un giusto elogio alla memoria di sì grand' Uomo.*

JOSEPHO. AVERANIO
CIVI. FLORENTINO. BENEDICTI. ET. NICOLAI
FRATRI
IN. PISANA. ACADEMIA. LIII. ANNOS. LEGUM
INTERPRETI
JURISCONSULTORUM, SUI. TEMPORIS. MAXIMO
PHILOSOPHIA. GEOMETRIA. ASTRONOMIA
GRAECIS. LATINIS. LITERIS. POESI. ELOQUENTIA
ROMANAE. HISTORIAE. COGNITIONE. CLARISSIMO
RELIGIONE. MORIBUS. SPECTATISSIMO
PRAECEPTORI. OPTIMO
QUI. VIXIT. ANN. LXXV. MENS. V. D. XIV
OBIIT. IX. KAL. SEPT. ANNO. A. CHRISTO. NATO
M. DCC. XXXVIII
ANTONIUS. NICCOLINUS
EX. MARCHIONIBUS. PONTIS. SACCI
ET. CASTRI. CAMULIANI
H. M. D. S. P. F. C

DE

DE
LUDO
CALCULORUM SEU LATRUNCULORUM

CAPUT PRIMUM.

De ludis in genere & eorum origine.

PRæclare, ac Sapienter omnium doctrinarum Parens, & Auctor *Homerus* in principio Odysseæ Jovem inducit de hominum impietate, ac perversitate querentem, qui cum in mala incidant sua ipsi stultitia, atque improbitate, eorum causam, culpamque in Deum referunt, ipsumque malorum omnium faciunt auctorem.

Ὦ πόποι οἷον δὴ νυ Θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακὰ ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν

Verissimum est illud Pythagoræ dogma, (Jamb. in ejus vita) Deos nullius mali auctores esse; morbosq. & quæcumque patitur corpus ex intemperantiæ semine, proficisci; & Platonis in 2. de Rep. Bonorum quidem nullum alium auctorem esse quam Deum; malorum autem alias quærendas esse causas præter ipsum Deum.

Nos enim ipſi nobis malorum auctores ſumus, tum animi vitiis, & cupiditatibus, tum opinionum noſtrarum perverſitate, multa, quæ natura ſua mala non ſunt, mala eſſe judicantes. Hinc plena omnia querelis imperitorum ærumnas ſuas dolentium, hinc illud apud græcos uſurpatum Θεῶν παίγνια ἄνθρωποι: Deorum ludus homines, & illud apud *Plautum* in cap. prol.

Enim vero Dii nos, quaſi pilas, homines habent.

Quanto ſapientius *Terentius* in Adelphis ſummorum Philoſophorum, ac præcipue Platonis Sapientiæ Principis ſententiam iis verſibus lepidiſſimis extulit, in quibus vitam hominum ludo teſſerarum comparavit, ubi quodcumque acciderit proſperi, vel adverſi æquo animo ferendum eſt, & ſi quid perverſe ceciderit, arte, & ſapientia corrigendum eſt. (Act. 4. ſc. 7.)

Ipſa vita eſt hominum, qualis, cum ludas teſſeris;
Si illud, quod eſt maxime opus jactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Utinam vero Eamdem, quam in ludis, in vita inſtituenda curam, & diligentiam adhiberemus. Videmus enim ſtultos aleatores nihil aliud dies noctesque cogitare, nulla alia re delectari, famem, ſitimque, & frigus, & æſtum hilares, & alacres perfer-

ferre, dum ludunt; & illis esse simillimos, qui in formæ, quam effictim amant, contemplatione defixi, diis ipsis se pares esse arbitrantur, ut ex ode quadam suavissima Poetriæ Sapphus elegantissime Catullus expressit.

Ille mi par esse Deo videtur
Ille, si fas est, superare divos
Qui sedens adversus, identidem te
spectat, & audit:
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi, nam simul te
Lesbia adspexi, nihil est super mi &c.

Non sine causa igitur *Herodotus* gravis in primis auctor, & rerum memoriæ non indiligens, in primo eorum librorum quos Musarum nominibus inscripsit, hanc fuisse ludorum originem comminiscitur: Aty regnante, non Crœsi, sed Manis filio universam Lydiam fames invasit. In summa annonæ caritate, & omnis generis eduliorum penuria, cum nullis Sacris placari Deorum numina, nullisque votis ac precibus possent exorari, ad alias artes animum gens illa convertit, & optimam famis fallendæ rationem excogitavit. Invenit enim varia Ludorum genera, quibus dum Cives toto animo incumberent & cibi prorsus obliviscerentur, & jejuni ventris molestiam occupatione jucundissima mitigarent. Hac arte populi illi alternis diebus ludentes, alternis edentes tristissimam famem duodeviginti annos tolera-

runt. Nimirum ſæpenumero evenire ſolet, ut extrema calamitas cauſa maximæ delectationis exiſtat, & in graviſſimis ærumnis multa reperiantur, quibus humanæ vitæ jucunditas continetur. Ita Syracuſani feruntur inveniſſe ſaltationem, non hanc ineptam, & mollem, qua nunc utimur, ſed veterem illam gravem & admirabilem, qua ſolo motu geſtuque corporis ſine ulla voce animi ſenſa ſignificabant, cum Tyranni Hieronis immaniſſima lege mutuis uti colloquiis prohiberentur. Exurgit enim, & vires ſuas exerit ingenium, dum premitur rebus adverſis & calamitate vagum animum, & circa multa hiantem cogunt, & ad ſe ipſum convertunt. *Manil. Aſtron. lib.* 1.

Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.

Et ſapienter *Archytas Tarentinus* ajebat neceſſitatem omnia docuiſſe, omnia inveniſſe

Χρεὼ παντ' ἐδίδαξε. τί δ' οὐ χρεὼ κεν ἀνδρὸι;

Et pervulgatum eſt ac tritum, etiam vulgi ſermone dictum *Theocriti* Poetæ excellentis.

Απεν/α Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγαίρει ideſt
Una omnes, Diophante, artes promovit egeſtas

Quem imitatus eſt Plautus in Stycho

--*pau-*

——*paupertas fecit ridiculus forem,*
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quemque attigit.

Et ad rem nostram accommodatius Comicus Græcus famem multarum rerum Magistram esse pronunciavit. (*Menander.*)

Λιμὸς δὲ πολλῶν γίγνεται διδάσκαλος.

quem imitatus *Persius* noster in proœmio Satyr. ventrem dixit esse magistrum artis, ingeniique largitorem. Sapienter, ut semper Homerus.

Πάντες μὲν ὀλοὸν θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι.
Αμμορε δ' οἰκτιστον δανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. hoc est.
Omne genus lethi durum est mortalibus ægris
Sed periisse fame mors immanissima longe est.

Mirandum autem est eosdem ludos, quos invenerant illi, ut animum intenderent, & vehementi occupatione a sensibus avocarent, nos, ut ipsum recreemus, nimioque sessum labore levemus usurpare.

Ex his constat Herodoti Sententiam à Philosophica ratione non abhorrere, etsi quibusdam historicæ veritati minus consentanea esse videatur. Ludos enim multo antiquiores esse putat Athænæus lib. 1 Dipnos. cum Homero teste, heroicis etiam temporibus essent in usu ludi pilæ, saltationis, & talorum. Sane Achilles apud Homerum Patrocli funus celebrat varii

generis ludis, curruum, hominumque curſu, tum vero pugilatu, lucta, diſco, jaculis, quem imitatus eſt Virgilius in 5. divini Operis. Et ipſe Patroclus non alia de cauſa extorris patria Achillis domum deductus eſt, quam quia filium Amphidamantis interfecerat in ludo talorum orta contentione, ut narrat idem Homerus lib. 13. Iliad. & lib. penult. ubi Patroclus poſt mortem Achillem alloquitur hiſ verbis.

Εὖτε με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ἡμέτερονδ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς
Ἡματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος, οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς. hoc eſt

Cum puerum, miſeram ob cædem, Mænetius heros
Ex Opoente domum veſtram perduxit, ab illo
Tempore, quo magni natum Amphidamantis, oborta
Ad talos rixa, incautus, nolensque peremi.

Proci quoque cum eos falſa ſpe duceret, & fruſtraretur Peneſopē, dies, & annos nuptias promovendo, calculorum, talorumque, & diſci, & jaculorum ludis ſe oblectabant, tempuſque fallebant. Quamobrem vix defendi poteſt Herodotus, niſi

nisi dicamus eos a Lydis in usum revocatos, aut in ea regione ab ipsis primum inventos fuisse, non a Græcis acceptos.

CAPUT II.

De Origine Nominis, & obiter de Ludionibus.

UTcumque se res habeat, satis constat genus hoc delectationis ludum a Lydis fuisse appellatum. Hanc nominis originem ita indagat Tertullianus in lib. de spectac. c. 5. ex veterum auctorum sententia. Ab his ludorum origo sic traditur: Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse, ut Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione. Igitur in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enunciationem, ut ludi, a Lydis vocarentur. Sed etsi Varro ludos a lusu interpretatur, sicut & Lupercos Ludios appellabant, quod ludendo discurrant: Utramque nominis originem agnoscit etiam Isidorus orig. l. 18. c. 16. Eumdemque Varronem laudat, sed nusquam in iis quæ extant Varronis, reperitur. Fortasse vero referenda sunt ad Varronem Atacinum, qui a Plinio sæpe laudatur. Prius Etymon longe verosimilius

est,

eſt,& a Lydis, a quibus togæ uſum, ludos, & ludorum appellationem acceperint Romani. Neque poterit huic ſententiæ non aſſentiri, quicumque animadverterit, quanta ſit affinitas inter has duas litteras Y & V primamque eſſe Græcam, quam veteres Romani numquam adhibuerunt, cum illi nondum aures aſſuefeciſſent. Quare Sullam dicebant, quem nos Syllam, & Surum, quem nos Syrum, & Purrhum, quem nos Pyrrhum, & quem nos Amphitryonem dicimus. Amphitruo ſemper nominatura Plauto in ea Comœdia, quam ejus nomine inſcripſit. Cicero in Oratore Purrhum ſemper Ennius, numquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri, nec enim Græcam litteram adhibebant, nunc autem duas. Quintil. inſt. Orat. l. 1. c. 4. ſed B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus, & Bruges, mutata enim prima litterа in B, & Y in V Pyrrhus, & Phryges, in Burrhus, & Bruges convertuntur. Confirmat idem Feſtus Pomp. in verbo Balæna, & ad rem noſtram Non. Marcel. Ludios Romani Lydios vocabant, ut eſt in libro primo Varronis de vita populi Romani. Neque vero pluribus opus eſt ad probandum id, quod volumus.

Non poſſum tamen tacitus præterire Plauti verſus, in quibus lydium hominem Ludium appellat: ait enim Antrax in Aul. ac. 2. ſc. 6. --*tu*

—— tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est.

Non ignoro nomen illud referri posse ad Saltatores illos impuberes, imberbesque, qui elegantibus amicti tunicis, galea, parma, gladioque armati in pompis theatralibus ordine incedebant, saltabantque Saliis similes, & ludii, sive ludiones vocabantur. His fere verbis eos descripsit Dion. Halicar. lib. 2. Antiq. Rom. Et de eorumdem origine Liv. lib. 7. Cæterum parva quoque, ut ferme principia omnia, & ea ipsa peregrina res fuit sine carmine ullo, sine imitandorum Carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecores motus more Thusco, dabant. Horum etiam meminit *Cicero* in Orat. de Haruſp. respons. & in *Orat.* pro Sext. & *Suet.* in Augusto, & *Ovid.* lib. 1. Art. Am. *Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco.*

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Et ludiarum meminit etiam *Mart.* l. 5. ep.

Hermes cura, laborque ludiarum.

Meminit etiam Stat. & Prudent. Ac tanta fuit in his ludionibus Romanorum delectatio, ut etiam in triumphorum pompa fuerint adhibiti. Appian. in Lyb. Imperatorem lictores præibant purpureis amicti vestibus, tum cytharædorum, & tibiarum turba ad Etruscæ similitudinem pompæ. Hi succincti, coronisque aureis re-

redimiti, ſuo quiſque ordine canentes, pſallenteſque prodibant; hos ludios appellabant, ita ſonant auctoris græca verba.

Ego tamen magis adducor, ut credam Superiores Plauti verſus de Lydis, non de Ludiis eſſe accipiendos. Nam & Comœdia Græca eſt, & in quibuſdam manuſcriptis legitur Lydius ut teſtatur Voſſius in Etym. & alibi Plautus ubi hos ludiones nominavit, ut eos a Lydis deſtingueret, ludios barbaros, hoc eſt latinos appellavit. Verſus lepidiſſimi, & Plautino ſale aſperſi ſunt in Curcula. c. 1. ſc. 2. in fine.

Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto; atque obſecro,
Gerite amanti mihi morem amœniſſimi
Site Cauſa mea ludii Barbari
Subſilite obſecro, & mittite iſthanc foras.

Ludii barbari, hoc eſt ludii latini, vel Italici ſunt enim grecæ hæ comœdiæ, ac Græcis omnes gentes erant barbaræ. Ita idem Plautus in prol. Aſinariæ.

Demophilus ſcripſit, Marcus vertit barbare.

hoc eſt Latine. Idem in Capt. *Barbarica lege certum eſt ius meum omne perſequi.*

Hoc eſt Latina lege, & in Milite glorioſo Poetæ Barbaro, hoc eſt Latino, & teſte Feſto Pomp. in voce Barbari idem Plautus in Fœneratrice, quæ hodie non extat barbariam appellavit Italiam. Quemad-

madmodum igitur hunc locum non nisi de ludionibus possumus interpretari, ita illum alterum de Lydis dictum, non incommode possumus intelligere, quibus multo magis quam ludionibus convenit illud adiectivum *vulsus*, neque enim necesse erat, ut vellerentur Ludiones, cum impuberes essent, & prorsus imberbes. Alludit autem fortasse Poeta verbo illo ad Lydorum mollitiem. Summæ enim mollitiei erat se vellere *Juven.* Sat. 8.

——*si cupidus, si*
Vanus, & Euganea quantumvis mollior agna
Si teneram attritus Catinensi pumice lumbum.

Et de effœminatis Seneca ep. 114. Quod vides istos sequi, qui aut vellunt Barbam, aut intervellunt. Notat hoc in Cæsare Su. c. 45. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam. Quintil. in proæm. lib. 8. Instit. Oratoriarum: eademque corpora si quis vulsa, atque fucata muliebriter comat, fœdissima sint ipso formæ labore. Hanc autem Mollitiem populis illis convenisse quis dubitet, qui fœminas etiam, quo glabriores essent, castrare solerent, Andramyte eorum rege nefandi hujus sceleris auctore. Sed Lydorum mollities notior est, quam ut necesse sit pluribus explicari. Quare apud Anacreontem λυδιπαϑης explicat ὑδιπαϑης, qua-

quaſi idem ſonent Lydus, & voluptuarius. Neque aberant ab hoc luxu Romani. Jure queritur Seneca de Brev. vitæ. c. 12. Cum videam, quam ſolliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant; quam ſuſpenſi ſint, quomodo aper a cocco exeat, quanta celeritate, ſigno dato, glabri adminiſteria diſcurrant &c. Idem Seneca ep. 14. Alter ſe juſto plus colit, alter ſe juſto plus negligit, ille & crura, hic nec alas quidem vellit.

Quamquam quantum ad rem noſtram attinet, non multum refert utro modo Plautum interpretemur. Nam & Ludrones illos Saltatores a Lydis, a quibus ducebant originem fuiſſe appellatos affirmat Dion. Halic. Antiquitatum Romanarum ſcriptor omnium diligentiſſimus, in libro 2. & Heſychius λυδίζειν χορεύειν, ἀπὸ τῶν λυδῶν. Lydiſſare, ſaltare a Lydis dictum. Hinc Catullus ludias aquas dixit, quod perpetuo motu agitentur ep. 28. incipit Peninſularum &c.

Gaudete, voſque ludiæ lacus undæ.

CA-

CAPUT III.

De Origine ludi Calculorum, variæ opiniones referuntur.

A Lydis multorum fert sententia ludos inventos fuisse, & ab iisdem nomen accepisse satis ostendimus. Non tamen omnia ludorum genera ipsis debemus, certe non ludum calculorum. Idem Herodotus, qui alia ludorum genera ipsos invenisse memoriæ prodidit, negat ludum calculorum reperisse. Herodoti verba in Clio sunt hæc: ἐξευρεθῆναι δ' ὧν τότε, καὶ τῶν κυβώων, ἔ τῶν ἀστραγάλων, καὶ τῆς σφαίρης, καὶ ἄλλων παιδιέων πεττοὶ τὰ εἴδεα πλὴν πεσσῶν, &c. hoc est. Tum ab illis inventa & tesserarum, & talorum, & pilæ, & aliorum omnium ludorum genera præterquam calculorum. Horum enim inventionem sibi Lydi non vindicant. Male Valla vertit πέσσους talos. Licet enim Lydi argenti aurique feriendi primi extiterint auctores primique cauponas instituerint, tamen hic ludus majoris est sapientiæ, quam ut ejus inventum sibi possit gens illa mollis, ac delicata vindicare. Philosophi qui de sua vi, ac sapientia soli omnia pene profitentur, non solum artes omnes a se inventas, in lucemque prolatas, Possidonio teste, confirmant, sed etiam hoc ludendi genus, in quo præter cætera ingenium

nium eminet, inſtituiſſe contendunt. Hunc igitur ludum Palamedem Nauplii filium inveniſſe plerique tradiderunt, quem conſtat Græcorum omnium fuiſſe ſapientiſſimum. Hic enim, & ſexdecim græcas litteras inveniſſe fertur, & numerandi, computandique rationem, & menſuras, & ſtellarum ordinem, atque converſiones, & alia hujus generis plurima. Manil. lib. 4. Aſtron. in princ.

Menſuræ tribuent uſus, & pondera rerum
Et Palamedeis certantem viribus ortum:
Qui primus numeros rebus, qui nomina ſummis
Impoſuit, certumque modum, propriaſque figuras.

Euripides in Palamede.

Τὰ πᾶς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνον
Α' φώνα, καὶ φονεῦντα συμβὰς τιθεὶς
Ε'ξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι,
Ω'ς οὐ πρέποντα, πόντιας ὑπὲρ πλακὸς
Τ' ἀκεῖ κατ' οἴκους πάντ' ἐπιζαῶσα καλῶς.
Παύσουσι κἀποθήσκοντα γραμμάτων μέτρον,
Γράψαντας εἰπεῖν τὸν λάβοντα δ' εἰδέναι
Οὐδ' ὡς ἔριν πίπτουσιν ἀνθρώποις κακά.
Δέκτος διαιρεῖ, κ' οὐκέτ' ἄψευδῆ λέγειν

Et Sophocles de eodem Palamede.

Οὗτος δ' ἐφεῦρε τοὺς χορεύοντας τροπῇ
Στάδην τ' ἀέθλων, ἐς μέτρων διῃρημένα,
Καὶ κεῖν' ἐτεύξε φωτὸς ἐξένου δέκα
Κἀπ' τῶν δέκ' εὗδις εὗρε πεντήκοντά δε.

Καὶ

Καὶ χίλι' αὖθις. ὅς στρατῷ φρυκτωρίαν,
Τ' πεῦ φυλαξεις, τὰ θοὰ σημαντήρια
Ἔδειξε, κ' ἀνέφηνεν οὐ δεδαγμένα.
Ἔφευρε δ' ἄστρων μέτρα, κὴ περιτροφὰς
Τάξησι ταύτας, ἐρανιάτε σήματα
Ναῶντε σημαντῆρσιν ἐνθαλλαστίοις;
Ἄρκτε τροφάσε, ἔ κυνὸς ψυχρὰν δύσιν.

Hæc omnia fertur inveniſſe ſapientiſſimus Palamedes, quamquam litterarum, & numerorum inventionem Eſchilus Prometheo tribuat. Eumdem Palamedem hujus ludi inventorem fuiſſe ſubiicit eodem loco Sophocles his quatuor verſibus.

Οὐ λιμὸν οὗτος τῶν δ' ἀπῶσε, σὺν θεῷ
Εἰπεῖν χρόνοτε διατριβὰς σοφωτάτας
Εφεῦρε φωτὶ σβ μετὰ κόπου καθημένοις
Πεσσὸς κύβοτε τερπνὸν ἀργιᾶς ἄκος.

Quos ita libet interpretari.

An non abegit hic famem triſtiſſimam?
Artemque temporis fallendi reperit?
Cuboſque calculoſque dulcis otii
Solatium ſedentium ad murmur maris?

Ubi obſervandum eſt hujus ludi inveniendi eamdem famem fuiſſe cauſam, quam reliquorum omnium paullo ante fuiſſe tradit Herodotus. Eumdem hujus ludi auctorem agnoſcit *Sidon. Apol.* Carm. 23. in fine:

Nos ad verbera tractiuum ſtruentes
Tamquam Naupliades repertor artis
Gaudebas hilarem ciere rixam.

Statius in Achilleid. lib. 1. Hunc autem conſtat fuiſſe prudentem nam & tabulas

ipſe

ipſe invenit ad comprimendas otioſi ſeditiones exercitus. *Servius* in 2. Æneid. ad illud Virgil. *Belidæ nomen Palamedis*: Hunc autem conſtat fuiſſe prudentem, nam & tabulas invenit ad comprimendas otioſi ſeditiones exercitus, ut Varro teſtatur. *Suidas* in voce τάβλα τάβλα ὄνομα παιδίας τοῦτην ἔφευρε παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τε ἐλληνικοῦ στρατοῦ σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. Tabula eſt nomen ludi. Hanc invenit Palamedes ad Græci exercitus delectationem cum magna Sapientia, & Philoſophia. Conſonant *Cedreni* verba in hiſt. compend. & *Iſaaci Porphyrogennetæ* in paralip. Hom. *Pauſanias* quoque tum in Corinthiacis, tum in Phocicis, & *Philoſtratus Lemnius* in Heroicis, & *Joann. Antioch.* in antiquit. idem confirmant, & *Euſtbatius* in Com. lib. 1. Odys. Palamediacum abacum nominat, & Naupliadæ calculos ex Euphorione. Præterea refert ad Trojam lapidem oſtendi, in quo calculis ludebant Græci, & in Argo calculum qui dicitur Palamedis. Hinc *Caſſiodorus* lib. 8. ep. 31. Interdum Palamediacis Calculis occupari, ad balnea ire, cum ſociis prandia multis apparatibus exhibere. Ac ſane temporibus quæ Trojanum bellum ſunt conſequuta, ludum calculorum in uſu fuiſſe teſtis eſt luculentiſſimus *Homerus* lib. 1. Odys. apud quem Minerva procos invenit ſedentes in pellibus boum, quos interfecerant, ibique calcu-

lo-

lorum ludo tempus fallentes, seque oblectantes.

Εὗρε δ' ἀρα μνησῖρας, οὐ μὲν ἔπειτα
Πεινοῖσι φροπάροι δε θυμάων θυμὸν ἔτερπον.

quamquam hic procorum ludus a ludo Palamedis longe differebat, ut infra docebimus opportunius.

Alium tamen hujus ludi auctorem, neminus sapientem laudat Plato rerum humanarum, divinarumque peritissimus, eumdemq; putat auctorem fuisse Calculorum, qui fuit Auctor Arithmeticæ, Geometriæ, atque Astronomiæ Ægyptium quemdam nomine *Theut*, qui ab Ægyptiis sacris, & Deorum honoribus colebatur. De quo ipse in Phædro φῶτον ἀριθμὸν, καὶ λογισμὸν εὑρεῖν, καὶ γεωμετρίαν, καὶ ἀστρονομίαν ἔτι δὲ πεττείας, καὶ κυβείας. Hunc primum inveniſſe numerum, & numerandi rationem, & Geometriam, & Aſtronomiam, præterea vero calculorum, teſſerarumque ludum.

Donatus in Eunucho Terentiano ac. 4. ſc. 7. ad illum verſum. *Idem hoc jam Pyrrhus facitavit*, aliter ſenſiſſe videtur: ait enim: Rex Pyrrhus peritiſſimus ſtratagemmatum primus quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit. Alii verò Attalum Aſiaticum inventorem fuiſſe crediderunt.

Lucianus verò in Saturn. prope fin. multo antiquiorem fuiſſe hunc ludum, videtur exiſtimaſſe, apud quem Sacerdos Satur-

turnum ita interrogat; τὸ πεττεύειν συνήθες ἦν καὶ τοῖς ἐπὶ σοῦ ἀνθρώποις. Κρο. καὶ μάλα ὑμῖν περὶ τάλαντα ἔγε καὶ μυριάδων, ὥσπερ ὑμεῖν, ἀλλὰ περὶ καρύων τὸ μέγιστον, ὡς μὴ ἀνιᾶσθαι ἡττηθέντα, μηδὲ δακρύειν ἀεὶ ἄσιτον ἑαυτὸν μόνον τῶν ἄλλων. ἱε. ἀλλὰ ἐκεῖνοι ποιοῦντες. ὑπὲρ τινὸς γὰρ ἂν καὶ ἐπέττευον αὐτοῖ, ὁλόχρυσοι ὄντες. Num solebant tui sæculi homines calculis ludere? Sat. Ita plane, non tamen pro talentis, quemadmodum vos, sed ad summum pro nucibus, ne victus doleret, semperque ploraret solus inter alios impastus. Sacerd. Et recte quidem ille; pro qua enim alia re lusissent ipsi, cum toti aurei essent. Utitur quidem Lucianus verbo πεττεύειν, quod potest comprehendere etiam tesserarum ludum. Sed tamen proprie de calculorum ludo dicitur. Unde metaphora sumpta ab hoc ludo πεττεύειν significat: permutare, transferre. *Suidas* πεττεύειν μεταφέρει. *Philo* de vita M. l. 1. τύχης γὰρ ἀσταθμητότερον οὐδέν, ἄνω, καὶ κάτω τὰ ἀνθρώπεια πεττεύσης. Fortuna nihil instabilius sursum, deorsumque res humanas convertente, *Hesychius* πεττεύων, μεταστίθεσο τὴν γνώμην πρὸς τὸ κρεῖττον. Mutamentem in melius. Deducitur enim hoc verbum a nomine πεττός, quod calculum proprie significare infra ostendemus.

Neque vero mirandum est in re tam vetere, atque obsoleta non consentire auctores, nihilque statui posse certi atque in-

indubitati. Verum enimvero ego existimaverim Palamedem hujus ludi primum inventorem fuisse, tum quia id omnium fere consensu receptum est, tum quia id ingenio ejus ac sapientiæ maxime consentaneum est, cum & à Platone vocetur Græcorum sapientissimus & a Philostrato Mortalium prudentissimus, & divinus, & ab Euripide Musarum luscinia, & Socrates apud Xenophontem testetur eum propter invidiam, ob eximiam sapientiam oppressum, atque interemptum fuisse. Neque mirandum est tam celebris inventi nullam usquam ab Homero factam fuisse mentionem, ut enim animadvertit Philostratus in vita Apollon. Thyan. l. 3. c. 6. Palamedis duo fuerunt inimici, Ulysses cujus dolis est interfectus, & Homerus, qui ab ejus laudibus abstinuit, cum alios longe deteriores extulerit. Puto nihilominus etiam aliorum sententiam defendi posse; & *Theutem* etiam ludum calculorum reperisse, sed diversum a ludo Palamedis, ut infra docebimus; & alios aliter lusisse, ac multa mutasse. Neque enim Donatus hunc ludum a Pyrrho tradit inventum, sed ab eo traditam in hoc ludo stratagematum disciplinam; Quod vero simillimum est, cum satis constet Pyrrhum in instruenda acie, ac milite exercendo præter omnes excelluisse. Sen. l. 2. de Ira. c. 14. *Pyrrhum maxi-*

mum Præceptorem certaminis gymnici, ſolitum ajunt his, quos exercebat, præcipere, ne iraſcerentur Amm. Marcel. l. 24. in princ. Quod arte mira ſæpe feciſſe Pyrrhus ille Rex dicitur Epirotes, opportunis in locis caſtrametandi, armorumque ſpeciem diffundendi ex induſtria, vel attenuandi per quam ſcientiſſimus, vel uti uſuveniſſet plures æſtimarentur, aut pauci.

CAPUT IV.

Explicantur quædam voces hujus ludi propriæ: & obiter pauca de talis, ac teſſeris.

ANtequam ad hunc ludum deſcribendum veniamus, explicandæ ſunt voces, quæ ad ipſum pertinent, quod & ad veteres auctores, & ad ea quæ dicturi ſumus intelligenda conferet. Neque vero temere has voces ſuſcipimus explicandas, cum in his interpretandis non ſolum ſæpe numero doctiſſimos viros erraſſe animadverterimus, ſed vix unquam propriam earum ſignificationem aſsequutos, nullumque fere reperiri, qui non teſſeras cum talis, taloſque cum calculis confuderit. Inter quos nollem recenſere poſſe Marſilium Ficinum virum undequaque doctiſſimum, ſed hic in Platone interpretando talos ſemper reddidit latinè

pro

pro teſseris & calculis. Quantum autem hæc inter ſe differant poterant advertiſse in Herodoto, qui tradit Lydos inveniſse teſseras ac talos, atque omnia ludorum genera præter calculos. Ejus verba ſupra attulimus. Poterant etiam diſcere ex Martiale in his diſtichis. lib. 14.

Non ſim talorum numero par teſſera, dum ſit
Major quam talis alea ſæpe mihi.
Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum Cane quaſſat ebur.
Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto,
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Poterant denique & ex Ovidio diſcere in 3. lib. de Arte amandi & in ſecundo Triſtium, & ex omnibus fere antiquis auctoribus.

Erat igitur talus figura quædam quadrata, quæ in quatuor tantum partes poterat ſubſidere, reliquæ enim erant ſubrotundæ, ita ut in iis non poſsent conſiſtere, & unam ex illis quatuor omnino jacienti faciem obverteret. Habebat igitur ſolummodo quatuor lapſus, unionem, ternionem, quaternionem, & ſenionem; deerant autem binarium, & quinarium, quæ erant in teſseris. Græce dicitur ἀστραγάλος. Docet nos præter alios *Plinius* l. 34. c. 8. his verbis: Polycletus Sicyonius ex

ære fecit duos pueros nudos talis ludentes qui vocantur Aſtragalizontes. Hinc Heraclius Epheſius, quod talorum ludo maxime delectaretur, Aſtragalizon eſt cognominatus. Ludebant autem veteres quatuor talis, quos ne qua fraus ſubeſſet in jaciendo demittebant in fritillum (hoc eſt in turriculam quamdam per gradus excavatam, in quos impingerent, ac ſæpe ſæpius circumacti foras ejicerentur) concuſsoque fritillo in tabulam jaciebant; & cum tali omnes diverſam faciem obvertebant (videlicet primus unionem, ternionem alter, alter quaternionem & poſtremus ſenionem) omnium optimus erat jactus, & vocabatur Venus, ſeu Venerium: Cum autem tali omnes eadem obverſa facie cadebant peſſimus erat jactus, & dicebatur Canis. Plaut. in Aſin. act. 5. ſc. 2.

Te Philænium mihi, atque uxori mortem, hoc Venerium eat.
Pueri plaudite, & mihi objactum cantharo mulſum date.

Proper. lib. 4. el. 9.

Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiliere Canes.

Et Ovid. lib. 2. Triſt. el. 1.

Quid valeant tali; quo poſſis plurima jactu
Figere, damnoſos effugiaſque Canes.

Ad hunc jactum Venereum alludit quoque

que Martialis l. 14. hoc distícho in talos.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tullius de Divin. l. 1. Quatuor tali jacti casu Venereum efficiunt: num etiam centum Venereos, si quadringentos jeceris casu futuros putas? Utebantur autem talis plerumque in conviviis, ut convivii regem sortirentur, quem modimperatorem appellabant. Virg. in Copa.

Pone merum, & talos; pereat, qui crastina curat.

Hor. lib. 2. od. 7. & alibi.

Quem venus arbitrum
Dicet bibendi?
Nec regna vini sortiere talis.

Elegans est ad hanc rem *Plutarchi* locus in Catone Censorio, sed plura omitto, neque enim sunt hujus loci. Non possum tamen tacitus præterire rationem ludendi ab Augusto usurpatam quam ipse describit apud Suetonium. Talis jactis ut quisque senionem, aut Canem miserat in singulos talos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos qui Venerem jecerat. Sciendum autem est talis etiam usos fuisse in ea lusione, quæ Græcis τρόπα dicebatur, cum talos ipsos, vel etiam Nuces glandesque in foveam de industria ad hoc excavatam conjiciebant. Quod ludi genus describit *Pollux* l. 9. c. 7. Apud nos pueri ita ludunt, nucleis plerum-

rumque, & ludum ipſum à foramine in quod nuclei conjiciendi ſunt, vocant Etruſce *la Bucherella*.

Teſſera vero erat quadrantal, ſeu figura ex omni latere quadrata ut eam deſcribit ex Varrone *Gell.* Noct. Attic. lib. 1. cap. 20. Græce dicitur κύβος, & latine etiam cubus. *Macr.* in Somnio Scip. lib. 2. c. 2. Hinc ſolidum corpus efficietur, quod ſine dubio octo angulis continebitur, quod videmus in teſſera, quæ Græco nomine κυβος vocatur, & l. 1. c. 5. Fiatque tribus dimenſionibus impletis corpus ſolidum quod σίριον vocant, ad imitationem teſſeræ quæ cubus vocatur. Sex igitur erant teſſeræ caſus, cum totidem eſſent ejus facies & in omnes poſſet incumbere. Quapropter elegans erat ſimilitudo *Hyeroclis* Philoſophi Platonem interpretantis, qui dixiſſe fertur, Socratis ſermones teſſeris eſſe ſimiles, ſtare enim ſemper erectos, quacumque cadant. κύβοις ἔοι κεναὶ τὰς Σωκράτες λόγους ἄπτωτας γὰρ εἶναι παντα-χῆ ὀπίναν πίσωσι. Nos hanc appellamus Etruſce *Dado* a latina voce datus, qua illi motum calculorum ſignificabant. Dare enim dicebant calculos, huc illucque traducere. *Quint.* lib. 11. inſt. Orat. De Scævola, quo dato erraſſet recordatus. *Ovid.* Tu male jactato, tu male jacta dato. Hinc apud Plautum datatim ludere.

Tum iſti qui ludunt ſervi Scurrarum datatim in via.

In

In hoc ludo olim tribus tesseris utebantur, postea duabus. *Zenobius* παλαὶ γὰρ τρίσιν ἐχρωντο πρὸς τὰς παίδιας κύβοις ὐχ ὡς οἱ νῦν δύο. Olim tribus utebantur ad ludum tesseris, non ut nunc duabus. Senecæ quoque temporibus duæ tantum tesseræ in usu erant, ipse in ἀποκόλο.

Nam quoties missurus erat resonante fritillo
Utraque subducto fugiebat tessera fundo.

Erat autem ludus tesserarum triplex. Primus quem Græci, teste Polluce, πλειστόβολίδα appellabant, ita dictus quod vinceret ille, qui majorem numerum jecisset, unde vulgatum illud apud Græcos adagium ἢ τρεῖς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι: vel tres seniones, vel tres uniones. Nos Etrusce dicimus: *o asso, o sei*. Unitatem enim vocamus *asso* a verbo Tarentino apud quos unitas dicebatur ἄσ *as*. Unde *as*, & *assis* apud Romanos, quæ vox etiam unitatem significat: adiecto asse, pro adiecta unitate dixit Vitruvius, & Hyginus, accepto asse pro accepta unitate, & assem relinquo pro relinquo unitatem. Constituebant autem in hac ludendi ratione summam aliquam quam vinceret is, qui plura puncta jecisset, vel summam in singula puncta plus jacientis. *Eustath.* καθ' ἕκαστον κύβον, ἤγουν, καθ' ἑκάστην μονάδα, ἔπαιζον ἀργύριον ὁρίσαντες. In singulas tesseras, vel in singulas unitates argenti summam

conſtituentes ludebant. Suet. in vit. Ner. c. 30. Nero profuſiſſimus quadringenis in punctum ſeſtertiis aleam luſit. Quanti Dii boni hæc ſumma eſt! Quare huc refero quod ait Martialis ſæpe majorem eſſe aleam teſſeris, quam talis. Verſus ejus ſupra attulimus. Secundus ludendi teſſeris modus erat, cum quis numerum vocabat, vincebatque ſi numerum illum jeciſſet: cui ſimilis eſt ludus quem nos vocamus *la Mora*, in quo tamen non teſſeris utimur, ſed digitis micamus. Tertius igitur celeberrimus erat ludus teſſerarum cum calculis, quem Græci diagrammiſmum vocabant, nos *lo Sbarràglino*, cui vitam humanam Plato comparabat. Sed hæc obiter. Ad latrunculorum, ſeu calculorum ludum veniamus.

Ab his omnibus differt ludus latrunculorum ſeu calculorum. Ut enim ait Heſychius in ludo teſſerarum jaciuntur teſſeræ, in ludo calculorum ſolum calculi moventur. Pauca igitur dicenda ſunt de vocibus quæ ad hunc ludum pertinent, & primum de nomine ipſius ludi, tum de calculis, quos movemus in tabula, ac poſtremo de tabula ipſa luſoria.

Ludus ipſe nomen non habet apud Latinos, ſed a calculis ipſis quibus in hoc ludo utimur, dicitur ludus calculorum, & ludus latrunculorum. Idem igitur eſt ludus calculorum, & ludus latrunculorum, licet

enim

enim calculis uterentur veteres etiam in ludo tesserarum tamen ille numquam calculorum ludus appellatur, sed tesserarum, & ut plerique, ludus duodecim Scriptorum. Quare Martialis in Ep. illo, cujus lemma calculi, de latrunculis agit.

Insidiosorum ludis si bella latronum
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Eodem modo Græci ψήφων παιδιὰν hunc ludum dicunt, & licet etiam in ludo tesserarum calculos adhiberent, tamen illum solum calculorum (ψήφων) ludum appellabant. Sed Græci etiam uno verbo ludum calculorum dicunt πεττιὰν, & calculos πεττοὺς, seu πεσσούς. Falli autem puto doctissimum *Salmasium* qui pernegat hunc ludum unquam veteres sine tesseris lusisse. Ego contra existimo a veteribus hoc nomine proprie significari ludum calculorum, non tesserarum, quamquam recentiores etiam ludum tesserarum hac voce comprehendant. Grammatici πεττίαν, quasi πεντεῖον dictam volunt a quinque calculis, quibus ludebatur. In ludo autem quinque Calculorum nullum fuisse tesserarum usum nemo dubitat. *Hesychius* διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας· ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν· ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτοὶ μόνον τοὺς ψηφοὺς μετακινοῦσι. Differt πεττεία, (hoc est calculorum ludus) κυβεία (hoc est ludo tesserarum) in hoc enim tesseras jaciunt, in illo solum calculos trudunt.

cunt. *Herodotus* ludum calculorum (πεσσῶν) a ludo teſſerarum diſtinguit, cum ludum teſſerarum, & aliorum omnium ludorum genera a Lydis inventa memoriæ prodiderit, præterquam ludum calculorum πεσσῶν. Verba ejus ſupra attulimus. Plato quoque ſemper hos duos ludos diſtinguit. In Phædro circa finem ubi docet Theutem inveniſſe τεττεσαρ, καὶ κυβείαν ludum calculorum, & teſſerarum. In Rep. l. 2. luſorem calculorum, & teſſerarum nominat πεττευτικὸν, καὶ κυβευτικόν. Ubi obſervandum eſt nomine luſoris teſſerarum non poſſe nos interpretari eum qui teſseris ludit ſine calculis; ait enim neminem poſſe peritum eſſe luſorem calculorum vel teſſerarum, niſi qui a puero hæc didicerit; atque in eo ludo teſſerarum, ubi calculi non adhibentur, ſed ſolum teſſeræ jaciuntur, nulla ars, nulla induſtria requiritur, omniaque fortunæ tribuenda ſunt, ut nihil referat, a puero quis jacere didicerit, an jaciat ille, qui numquam didicit. Rurſus idem *Plato* lib. 6. de Rep. ejus enim teſtimonio libenter utor. Καὶ ὥσπερ ὑπὸ τῶν πεττευόντων δεινῶν οἱ μὴ τελευτῶντες ἀποκλείονται καὶ οὐκ ἔχουσιν ὅτι φέρωσιν οὕτω καὶ σφεῖς τελευτῶντες ἀποκλείεσθαι, καὶ οὐκ ἔχειν ὅτι λέγωσιν, ὑπὸ πεττείας αὐτ αὐτῆς τινὸς ἑτέρας, ἐκ ἐν λήθοις, ἀλλ' ἐν λάγοις. Et quemadmodum a peritis ludi calculorum imperiti ad extremum con-

concluduntur, ita ut non habeant, quo se vertant, ita se ipsos ad extremum concludi putant, ita ut quid dicant non habeant, hoc alio quodam πεττείας ludi genere circumventi, qui non calculis, sed sermonibus constat. Comparat hic Socratem perito lusori calculorum, qui interrogationibus suis in angustias cogebat auditores. Misere autem hic, ut semper, ubi hujus, vel tesserarum ludi a Platone mentio fit, labuntur *Ficinus*, & *Serranus*, qui pro calculis, & teseris, talos reddunt. Sed ad rem nostram. Animadvertendum est, quod Plato ludum illum, quem vocat πεττείαν, constare (ψήφοις) calculis innuit. Atque in ludo τῶν ψήφων nusquam teseris locus. *Plut.* de Orac. def. τὸν δὲ κύβον, ὥσπερ ἐν παιδείᾳ ψήφων ὑφήρηται. Cubum (seu teseram) autem tamquam in ludo ψήφων (calculorum) subtrahit. Contra idem Plato in lib. 10. de Rep. ubi agit de eo ludo teserarum in quo calculi adhibentur, ad cujus normam vitam instruendam esse docet, cum & in vita casus sit arte, & sapientia corrigendus non πεσσῶν hoc est calculorum, sed κύβων, hoc est teserarum mentionem facit: ὥσπερ ἐν πεσσοῖς κύβων, φῶς τὰ πεπτωκότα τιθέναι τὰ αὐτὰ πράγματα. Quemadmodum in casu teserarum res suas accomodare. Plut. quoque distinguit πέττους calculos, a κύβοις teseris in quæst. *Rom.* ubi de Acca Laurentia

rentia ἔθος εἰχεν ἐν πέττοις, καὶ κυβοις τὰ πολλα διημέρευειν. Solebat diem ludo calculorum, & teſſerarum conſumere. Verba hæc videtur extuliſſe Macrob. l. 1. Sat. c. 5. ſed vultiſne diem ſequentem, quem omnes plerique abaco, & latrunculis conterunt? Abacum dixit pro teſſerarum ludo, ut mox dicemus. *Proclus* etiam in Remp. Cap. πῶς ἂν τις ὑπὲρ τῆς θεῶν &c. luſorem calculorum, πεττευτὴν vocat. τί γὰρ διαφέρει ταῦτά γε λέγειν καὶ πεττευτῇ τὸν δημιουργὸν εἰκάζειν, μεταθέντι τὰς ψυχὰς εἰς τὰς φορὰς ἑκάστας, αὐταῖς βίους ἑκάστων. Quid refert hæc dices? an rerum omnium opificem ſimilem facias luſori calculorum, ſingulas animas in eam vitam, quæ cuique convenit, transferenti? Non poterat aptior ſimilitudo reperiri, & fruſtra eſt, qui velit hoc de ludo teſſerarum interpretari. *Sophocles* quoque peſſos a teſſeris ſejungit in Ναυπλίᾳ πυρκαεῖ.

Καὶ πέσσα πεντεγράμμα, καὶ κύβων βολάς.

Et idem in Palamede tragœdia:

Πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄχος.

Euſth. in 1. lib. Odyſſ. Ἰστέον δὲ ὅτι φανερά διαφορά ἐστὶ κύβων, καὶ πέσσων, παρὰ τοῖς παλαιοῖς, & poſtea, ὃ τὰ περὶ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας γράψας, διαφοράν καὶ αὐτὸς εἶδος κύβων, καὶ πέσσων, καὶ παλαιοτάτην εἶπων τὴν κυβευτικὴν παιδίαν. Qui de ludis Græcorum ſcripſit ſciens & ipſe differre teſſeras a (peſſis) calculis, & antiquiſſimum eſſe di-

dicens tesserarum ludum. Plura omitto, qui contra sentiunt sola Arist. auctoritate conficio: Is in p. Reth. c. 11. ἐπὶ δὲ τὸ νικᾶν ἡδύ, ἀναγκη & τὰς παιδίας ἡδείας εἶναι, καὶ ἀστραγαλίσεις, καὶ σφαιρίσεις, καὶ κύβειας, καὶ πεττείας. Quoniam vincere jucundum est, jucundos quoque esse talorum ludos, & pilæ, & tesserarum, & calculorum. En ubi talorum, tesserarumque ludum nominavit, addit πεττείαν ludum calculorum, quem certe absurde adiecisset, si esset ludus tesserarum.

Euripides tamen, cujus versus refert Plutarchus *in Op. de exilio* videtur tesseras πισσοὺς pessos apellasse; laudat enim Athenienses, quod indigenæ, & autochthones essent, hoc est non aliunde Athenas profecti, sed ex sua ipsi terra procreati. Alias autem, gentes, quæ alio, atque alio transvectæ numquam in eodem solo constiterunt, comparat tesserarum jactibus. Poetæ versus sunt.

Η' πρῶτα μὲν λεὼς, οὐκ, ἐπακτὸς ἄλλοθεν
Α'υτόχθονες δὲ φύμεν. οἱ δ' ἄλλαι πόλεις
Πέτρων ὁμοίως διαφορηθεῖσαι βολαῖς
Α'λλαι γὰρ ἄλλων εἰσὶν ἐξαγώγιμοι. hoc est
Primum inquilini non in hac patria sumus.
Sed Indigenæ: nec cæterarum gentium
Instar, similesque tesserarum jactibus
Aliunde, alio, huc, illucque transvectæ
sumus.

Nisi

Niſi forte quis aut eum poetice loquutum fuiſse contendat, aut ad deprimendas alias gentes uſum verbo βολαῖς, quo tamen nihil aliud ſignificare voluerit, quam calculorum ex alia in aliam ſedem trajectiones, ut dicimus εἰς νοῦν ἐμβαλλαῖν, in animum inducere, cogitare, colligere, intelligere, conjicere. Sane vero coloniarum deductio, & populorum ex aliis in alias ſedes translatio, multo ſimilior eſt tranſpoſitioni calculorum, qui in hoc ludo huc, illucque traducuntur, quam teſſerarum jactibus.

Recentiores tamen & πεσσοὺς pro teſſeris uſurparunt, & πεττείαν, pro teſſerarum ludo, quamquam *Pollux* ubi ſpecies omnes ludi teſſerarum recenſet, nuſquam πεττείαν, nominat. Sed tamen Euſthathius, etſi πεττείαν aliquando diſtinguat a ludo teſſerarum, tamen aliquando eumdem ludum & κυβείαν appellat. Γρέον δὲ ὡς ποτὲ μὲν ἐκ μέρους κύβος ἡ ὅλη διάθεσις παιδιᾶς, ποτὲ δὲ πέσσος. Sciendum quod tota ludi diſpoſitio aperte quandoque cubus, quandoque peſſus appellatur. *Heſychius* πεττεία ἡ διὰ κύβων παιδιά. Pettia ludus qui per teſſeras luditur. Idem πεττεύει, κυβεύει, Πεττείαις κύβοις τάβλαις. Quibus oſtendit non differre teſſeras a Peſſis. Ariſtenætus quoque l. 1. ep. 23. peſſos pro teſſeris poſuit. ἐμὲ δὲ καταλωσαν ἄπληστος ἑταίρα, καὶ πέσσοις πίπτοντες, ἀτυχῶς μὲν ἐμοὶ

ἔμοιγε

ἐμοὶ, ἐμβολώτερον δὲ τοῖς ἐναντίοις. Me vero perdiderunt & meretrix insatiabilis, & tesseræ a me infeliciter jactæ, felicius vero ab adversariis. Nec mirum a recentioribus confundi tesseras cum pessis, cum eædem confundantur etiam cum psephis ψήφοις quos constat apud veteres calculos fuisse, non tesseras. Glossæ: tesseræ βόλιαι ψῆφοις. Et Grammatici Græci κύβον πᾶσαν ψῆφον τετράγωνον. Cubum omnem calculum quadratum.

Eumdem hunc nostrum ludum Græci recentiores ζατρίκιον, Zatricium appellarunt. Scholiastes *Theocrit.* Idil. 6. v. 77. ἡ δὲ λέξις μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν παιζόντων τὸ κυνολάκτως ζατρίκιον. Vox metaphorica ab iis, qui ludunt, quod communiter vocatur Zatricium. Ducas Hist. c. 16. ἐκάθητο μετὰ τῶν ἰδίων αὐτοῦ ἔνδον τῆς σκηνῆς παίζων ζατρίκιον, ὃ οἱ Πέρσαι σαντραζ παλοῦσιν οἱδὲ Λατῖνοι Σκάκον. Sedebat cum filio in tabernaculo ludens Zatricium, quod Persæ Santraz appellant, Latini *Scaccum*. Æmes. *Onirocrit.* cap. 241. Ὁ βασιλεὺς ἢ μέγιστος, ἢ ἄρχων πολέμου εἶδε, ὅτι τὸ ζατρίκιον αὐτοῦ ἀπώλετο, ἢ ἐκλάπη, ἢ ἐκλάπη τὸν στρατὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς ἀπελπισμὸν μεγίστην ἦλθε. *Anna Comnena* lib. 12. Alexiad. ἔχει δὲ συγγενείων τινὰς καλῶν τὸ ζατρίκιον. παιδιὰ τοῦτο ἐκ τῆς ἕω Ἀσσυρίων τυφὶς ἐξ ἀρμενίων, καὶ εἰς ἡμᾶς ἐλήλυθε. Hæc igitur ab Assyriis ad nos hunc ludum delatum fuisse

fuiſſe refert. Meminerunt Zatricii etiam Anonymus de arte Perſica aliique ſequioris ævi ſcriptores.

Idem ludus a recentioribus Græcis dicitur τάβλα. *Apollonius* contra Cataphrygas apud Euſeb. l. 5. hiſt. Eccl. c. 18. ὥσπε μοιβοπτεται; προφήτης διβίζεται; προφήτης φιλοκόσμει; προφήτης τάβλαις, καὶ κύβοις πεί̈ζει. Propheta tabulis, & teſſeris ludit. Quamquam tabulæ nomen tum apud Græcos, tum apud Latinos frequentius ad ludum teſſerarum referatur. *Suida*; ταβλὰ ὄνομα παιδίας, Tabula nomen ludi, poſteaque deſcribit ludum teſſerarum, quem a Palamede putat inventum *Heſychius* κυβεύσει ταβλίσαι teſſeris ludere, ludere tabula. *Iſaac Porphyrog.* ὁ δὲ δὴ πρῶτος τὸ ταβλίζειν, ἤτοι κύβδειν ἐξεύρηται. Primus tabula ſive teſſeris ludere invenit. Et in Agathiæ Epigrammate in tabulam Zenonis, & multis in locis tabula ludum teſſerarum ſignificat. Sic *Macr.* lib. 1. Sat. c. 5. Sed vultis ne diem ſequentem, quem omnes abaco, & latrunculis conterunt, nos iſtis ſobriis fabulis, a primo lucis, in cænæ tempus exigamus. Juv. Sat. 1.

——*neque enim loculis comitantibus itur*
Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca.

Veniamus jam ad calculos, quibus, hoc in ludo utimur. Calculi quia lapilli quidem erant, græce ψῆφοι dicebantur, quo nomine nuncupabant etiam calculos illos,

los, quibus suffragia ferebant. ψηφίσματα, plephismata dicta sunt decreta, qua voce frequenter utitur M. Tullius. Eadem appellabant etiam calculos putatorios, quibus *Polybius* hist. l. 5. elegantissime comparat aulicos: ὄντως γάρ εἰσιν οὗτοι παρακλήσιοι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις: ἐκεῖνοι τε γὰρ κατὰ τὴν τοῦ ψηφίζοντος βούλησιν, ἄρτι χαλκοῦν, ἢ παραυτίκα τάλαντον ἐχόντουσιν: οἵτε περὶ τὰς αὐλὰς κατὰ τὸ βασιλέως νεῦμα μακάριοι καὶ παραπόδας ἐλεεινοὶ γίνονται. Revera hi sunt similes calculis in tabula, nam & illi pro voluntate computantis modo nummum, mox talentum referunt, & qui in aula sunt ad nutum Regis felices, ac confestim miseri fiunt. Locus a Latino interprete misere depravatus est, qui pro calculis putatoriis, suffragia suppositit. Latini etiam calculis utebantur ad computandum: hinc apud illos frequens dictum; ad calculos vocare, & calculos ponere: Cic. de Amicitia, hoc quidem & nimis exigue, & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio datorum, & acceptorum. Nos dicimus *farè i conti*. Val. Max. lib. 4. c. de Liberal. Si ad calculos revocetur, parvum utpote septem jugeribus, & hoc in Papinia additis redactum; sin animo prærogantis omni pecunia majus. Plin. in Ep. Ponere in utraque parte calculos; hoc est utriusque rationes expendere.

Theo-

Theocr. Id. 6. & Euſth. de Am. Is. vocant λίθους, lapides. Canes etiam ſunt appellati, nempe græce κύνες δὲ ἀντεπιβουλεύσασαι πάλλαις ψῆφοι, κύνες διὰ τὸ δηγεῖν ἀναιδέστ. Calculi qui ſibi invicem inſidiantur canes dicti ſunt propter quandam quaſi impudentiam. *Cratinus* quoque apud Pollucem Canis meminit, ſed videtur ita appellare ludum ipſum, vel tabulam.

Frequentiſſime etiam dicuntur a Græcis πέττοι, ὁ πέσσοι, unde vox Latina peſſuli, & Etruſca *pezzi*. Apud Latinos dicuntur tum calculi, tum milites, tum hoſtes, tum latrunculi, vel latrones. *Martial.* lib. 14.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum
Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Ovid.

Sive latrocinii ſub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoſte tuus.

Senec. ep. 106. in fin. Latrunculis ludimus in ſupervacuis ſubtilitas teritur. Idemde Brev. vit. c. 13. Perſequi ſingulos longum eſſet, quorum latrunculi, aut pila, aut excoquendi in ſole corporis cura conſumpſere vitam. Idem de Tranq. c. 14. Ludebat latrunculis, cum Centurio agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet, vocatus numeravit calculos. Neque mirandum eſt lapillos his nominibus inſigniri, cum hic ludus pugnæ imaginem, & ſimulacrum præſeferat. *Sidon. Apoll.* l.

1. ep. 2. Putes illum, & in calculis arma tractare. Joan. Sarisber. *Policrat.* l. 1. c. 5. Attalum Asiaticum hunc ludum refert inveniſſe, ut ea ratione doceret motum exercitus. *Donat.* Gramm. in Eunuch. Terent. Pyrrhus Epirota Stratagematum peritiſſimus, primus quemadmodum ea diſciplina traderetur per calculos oſtendit. Manil. l. 4. Aſtron. de iis qui ſub Scorpió nati ſunt, qui bello gaudent, & pacem oderunt.

Sunt quibus & ſimulacra placent, & ludus in armis
(Tantus amor pugnæ eſt:) diſcuntque per otia bellum
Et quodcumque pari Studium producitur arte,

Niſi potius hoc velimus interpretari de iis, qui in pace bellicis exercitationibus gaudent, & Martis laboribus aſſueſcunt.

Videtur nihilominus dubitandum, cur latrones, & latrunculi nuncupentur. Sed ſciendum eſt latrones a veteribus appellatos fuiſſe milites mercede conductos *Varro* lib. 6. de ling. Lat. Latrones dicti a latere, qui circum latera erant Regi, atque ad latera habebant ferrum, quos poſtea a ſtipatione ſtipatores appellarunt; & qui conducebantur mercede, ea enim merces dicitur Græce λάτρον καὶ σατρὸν. Ab eo veteres Poetæ nonnumquam milites appellant latrones, quod item uti mi-

milites cum ferro, vel quod latent ad inſidias faciendas. Hæc Varro. Latrones igitur dicti ſunt, vel à latere quaſi laterones, vel a latendo, vel ἀπὸ λάτρου mercede. Hac voce ad milites ſignificandos uſus eſt *Ennius* Ann. 1.

Hæc effatus ubi: latrones dicta faceſſunt.

Idem alibi.

——— *fortunas eo quas cæpere Latrones*
Inter ſe memorant.

Plautus quoq; in Milite glorioſo Act. 1. Sc. 1.

Nam rex Seleucus, me opere oravit maxumo
Ut ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.

Et Act. 4. Sc. 1.

Nam hodie ad Seleucum regem miſi paraſitum meum
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret

Et alibi.

Nam & hic latro Spartæ fuit.

Et alibi frequentiſſime. Ita militiæ vacare, & ſtipendia merere dixit latrocinari in Mil. glor. Act. 2. Sc. 6.

An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis

Et in fragm. Cornic.

Qui Regi latrocinatus decem annos Demetrio

Gracchus apud *Nonium*:

Qui apud Regem in latrocinio fuiſti, ſtipendium acceptitaſti.

His expoſitis poſtremo dicendum eſt de ta-

tabula ipsa in qua luditur. Hæc a Græcis dicitur πλύνδιον, & ἄβακος, hoc est laterculus, tabula; vel abacus: hinc Παλαμήδειος ἄβακος, abacus Palamediacus. Dicitur etiam a recentioribus τάβλα, & ταῦλα. *Isaac Porphyrog.* in Charact. Græcor. & Trojan, ubi de Palamede εὑρέσατο τὴν ταῦλαν ἤτοι τὸν πίνακα τὸ παιγνίου. Definivit tabulam videlicet tabulam ludi. Cedrenus οὗτος ἐστὶ Παλαμήδης ὁ τὴν ταυλὰν εὑρών. Hic est Palamedes tabulæ inventor. Olim dicebatur etiam πόλις, hoc est urbs, ut nos monet Pollux libro nono.

A Latinis dicitur laterculus, alveus, abacus, tabula. Hinc passim ad tabulam ludere *Paul. Diac.* de gest. Longob. lib. 1. cap. 20. Horum itaque viribus Rex indubitanter fidens, dum ipse securus ad tabulam luderet. A Seneca vocatur tabula latruncularia in epist. 117. a Plinio alveus lusorius. A Suetonio in Aug. forus aleatorius. Nam forus & tabula idem; unde fori navium sunt navium tabulata, & fori torcularium.

In hac tabula ordines bini dirigebantur uni transversi, alteri directi, ut ait Varro lib. 9. de ling. Lat. His lineis partim in rectum, partim e transverso ductis tota tabula in plures quasi regiones distinguebatur. Hæ a Græcis dicebantur χώραι, hoc est regiones, item πόλεις hoc est urbes. *Hesychius* δοκεῖ μετηνέχθαι ἀπὸ τῶν τοῖς λιμ-

poris

ροις παιζόντων ἐν ταῖς λεγομέναις, νῦν χώραις τότε δὲ πόλεσι. Videtur id deductum ab iis, qui ludunt calculis; quæ modo dicuntur regiones, tunc verò urbes dicebantur. *Euſth.* αἱ τῶν ψήφων χῶραι, λέγονται πόλεις. Calculorum ſedes dicuntur urbes. Unde manavit adagium apud illos Græcos πόλεις παίζειν, urbes ludere: in eos dictum qui res ſuas exaggerant, & cum in rebus nullius momenti vitam conterant, magnis ſe diſtineri jactant occupationibus. *Zenob.* Cent. 5. prov. 67. πόλεις παίζειν. μέμνηται ταύτης Κρατῖνος ἐν Δραπετίσι ἡ δὲ πόλις εἶδος ἐστὶ παιδιᾶς πεττευτικῆς, καὶ δοκεῖ μετενηνέχθαι ἀπὸ τῶν ταῖς ψήφοις παιζόντων ταῖς λεγομέναις νῦν χώραις, τότε δὲ πόλεσιν. Urbes ludere. Mentionem hujus facit Cratinus in Δραπετίσι. Eſt autem Urbs ſpecies ludi calculorum, & videtur deductum ab iis qui calculis ludunt, in iis quæ modo dicuntur regiones, tunc urbes. Non video autem qua de cauſa doctiſſimus *Meurſius* emendet Πόλει παίζειν. Nam & παιδιὰν παίζειν dixit Ariſtophanes, & Plato; & eodem modo Græci dicebant: λαμπάδα θεῖειν; lampada currere. Et Ariſtoph. in Veſp. ὡς ἦ κἂν ὅρον ἐδιώκαθες ποτ' ἢ λαγών, ἢ λαμπάδα ἔδραμες. Quod genus erat ludrici certaminis, in quo accenſas faces geſtantes currebant, iſque vincebat, qui ad præſtitutum locum currendo accenſam perduxiſſet. Ita etiam παίζειν ζα-

τεί-

τρικίον. Neque enim πόλις solummodo significat tabulam, sedesque, & regiones, in quas tabula ipsa dividitur, sed etiam ludum ipsum; ut autem nos dicimus ludere ludum, ita Græci more Attico παιδιαν παίζειν. Ad hoc idem nomen videtur allusisse facete admodum *Plato* in 4. de Rep. paulo post initium: Comparat enim Civitates opulentas urbi lusorum, hoc est tabulæ, quemadmodum enim hæc urbs in plures urbes est divisa, totidemque urbes continet, quot sunt regiones, in quas tabula ipsa distinguitur, ita civitates opulentæ ac populo refertæ, cum pauperes a divitibus dissideant, aliique discordent ab aliis non una civitas sunt, sed multæ. Verba Platonis, quæ non satis assequutus est, & dum voluit copiosius explicare, mirum in modum corrupit *Serranus*, hæc sunt: ἑκάστη γὰρ αὐτῶν πόλεις εἰσὶ πάμπολλαι, ἀλλ' οὐ πόλις τὸ τῶν παιζόντων. Ab iisdem Græcis dicuntur enim χαράκωματα μανδραι, hoc est septa mandræ; & a recentioribus Cedreno, Isaacio Porphyrog. Joanne Antiochensi κάσοι. A Latinis sedes calculorum dicuntur septa, carceres, valli, mœnia, & a Martiale mandræ, ut constabit ex veterum Scriptorum verbis, quæ infra opportunius afferemus.

CAPUT V.

De ludo Calculorum apud Græcos. Varias apud eos fuisse rationes ludendi Calculis.

QUoniam a vadis jam emersimus, & angustias verborum, & scopulos sumus prætervecti de ludo ipso calculorum sermo est instituendus. Varium, atque multiplicem fuisse hunc ludum apud Veteres supra indicavimus, nunc varias ludendi rationes enucleate explicabimus. A Græcorum ludo exordiamur.

Primus omnium nobis occurrit ludus calculorum, quem otii fallendi causa, Penelopes nuptiis inhiantes proci ejus feruntur lusisse. De hoc res est expedita, describitur enim ab Athenæo, & Appione Alexandrino, qui se ab Ithacensi Ctesone, qualis esset, audivisse ferebat. Habenda autem est gratia Eclogario illi, sive sit *Hermolaus Byzantinus*, sive alius, qui in Athenæi Epitome lib. 1. Dipnos: ludi hujus descriptionem non intercidit. Centum & octo erant Penelopes Proci, singuli calculum habebant. Calculos omnes in duas acies hinc, & inde disponebant, interjecto inter utramque aciem modico quodam spatio, in cujus meditullio insignem quemdam calculum collocabant, qui Penelopem repræsentabat,

&

& ab ea *Penelope* nuncupabatur. Cum igitur utrimque dispositi essent 54 calculi, is cui sorte id obvenerat, primus calculo suo in Penelopem collimabat, & in eam calculum suum conjiciebat, ac si eam dejecisset, & loco propulisset, calculum suum eo transferebat, ubi collocata erat Penelope antequam inde fuisset detrusa. Penelopemque illic constituebat, quo eam primo ictu propulerat, atque inde in calculum suum ictum dirigebat, vincebatque si ita eum percussisset, ut nullum alium calculum attingeret, magnamque spem exoptati conjugii concipiebat. Omnes in hoc ludo superasse fertur *Eurimachus* magnaque propterea spe nuptiarum præter omnes efferebatur. Ita illi ludum calculorum detorserant ad id quod maxime concupiscebant. De ludo Palamedis non satis constat: quoniam, ut puto, recentiores historiæ Scriptores ipsum cum ludo Ægyptiorum confundunt, quem a Theute inventum, ex Platone supra docuimus. Age vero, & quid ipsi dicant, & quam sit id veritati consentaneum examinemus. *Suidas* in voce τάβλα. Τάβλα ὄνομα παιδίας· ταύτην εὗρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τοῦ ἐλληνικοῦ στρατοῦ σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. Τάβλα γάρ ἐστιν ὁ γήϊνος κόσμος δωδεκα δὲ κάσοι ὁ ζωδιακὸς ἀριθμὸς, τὸ δὲ ψηφοβόλον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ ἑπτάκοκκια τὰ ἑπτὰ ἀστρα τὰ πλανητά· ὁ δὲ πύργος τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ

ἐξ οὗ ἀνταποδίδοται πᾶσι φαῦλα, καὶ καλά. Hoc eſt, Tabula eſt nomen ludi. Hanc invenit Palamedes cum multa ſapientia ad Græci exercitus delectationem. Tabula enim eſt terreſtris mundus; duodecim vero ſedes, numerus duodecim ſignorum Zodiaci, pſephobolus autem & ſeptem in eo ſiliquæ, vel grana, ſeptem aſtra planetarum; turris vero altitudo cœli, ex qua mala, & bona rependuntur. Non diſſimilis eſt *Cedreni* deſcriptio in Hiſtoriarum compendio. Οὗτος ἐστὶ Παλαμήδης, ὁ καὶ τὴν παύλαν ἐφεύρων πρὸς μετεωρισμὸν τῶν στρατῶ, καὶ τὴν, ἐν αὐτῇ σύνθεσιν σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ κατασκευάσας· ὥρισε γὰρ εἶναι τὴν παύλαν τὸν γήϊνον κόσμον: τοὺς δὲ δώδεκα κάσους τὸν Ζωδιακὸν ἀριθμόν: τὸ δὲ ψηφοβόλον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ κοκκία, τὰ ἑπτὰ ἄστρα τῶν πλανήτων, τὸν δὲ πύργον τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, ἐξ ὧν ἀνταποδίδοται πᾶσι καλὰ ἢ κακά. Hoc eſt: Hic eſt Palamedes, qui & tabulam invenit ad ſolatium exercitus, ejuſque compoſitionem multa cum ſapientia, induſtriaque conſtruxit. Statuit enim tabulam eſſe terreſtrem mundum, duodecim autem ſepta, numerum duodecim ſignorum Zodiaci. Pſephobolum verò, & quæ in ipſo ſunt ſeptem grana, ſeptem Planetarum Stellas, ac turrim altitudinem cœli, ex qua rependuntur omnibus bona, & mala. Similis eſt etiam deſcriptio, *Iſaacii Porphyrogenetæ* in paralipome-

menis Homeri, seu caracteribus Græcorum, & Trojanorum, qui ad Trojam fuere. ὧ δὴ φρώτος τὸ ταυλίζειν, ἤτοι κυβεύειν ἐξεύρηται. ἐκγοῦν τῆς κονήσεως τῶν ἐν οὐρανῷ ἑπτὰ πλανήτων, τῶν κατὰ μοιρικὴν τύχην, ὡς φασὶν, ἐπαγόντων χαρὰς τοῖς ἀνθρώποις, καὶ λύπας, ὡρίσατο τὴν ταῦλαν, ἤτοι τὸν πίνακα τὸ παγνιον τὸν γήϊνον κόσμον, τὰς δὲ δώδεκα κασοὺς, ἤτοι τὰ χαρακώματα τοῦτο τὸν ζωδιακὸν ἀριθμόν: καὶ τὸ ψηφοβόλον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ κοκκία ἅπερ τῷ κύβῳ ριπτάζονται, ὡς ἀναλογοῦντα τοῖς ἄστρασι. τόντε πύργον αὐτὸν, τὸν καλούμενον μόδιον, τὸ ὕψος αὐτὸ τὸ οὐτὸ τὸ οὐρανιον αἰνιττόμενον ἐξ οὗ καὶ ἔρχονται εἰς τιμὰς, καὶ ἀνταπόδοσιν, ὡς φασὶν ἕλληνες κακὰ, καὶ καλά. Ab hoc primum tabula vel tesseris ludere inventum est. Ex motu siquidem septem in cœlo planetarum, ex quo fatali quadam sorte, ut ajunt, hominibus gaudia, & dolores inducuntur, tabulam designavit, videlicet tabellam, quæ terrestrem mundum repræsentaret, & 12. septa, seu vallos, quæ duodecim signorum Zodiaci numerum referunt, & psephobolum, & in ipso grana, quæ jacta alea promoventur, stellis respondent. Turrim autem, altitudinem ipsam cœli significantem, ex quo ad nos pro meritis bona, vel mala proveniant. Eadem fere reperies apud Joannem Antiochenum de Antiquitatibus. In interpretandis his auctoribus re-

tinuimus vocem Græcam pſephobolum; neque enim ſatis conſtat quid illud ſit. Salmaſius putat eſſe infundibulum quoddam per quod immiſcerentur in pyrgum teſſeræ, cujuſmodi erat & κύμος, quo utebantur Judices ad calculos in urnam immittendos in ferenda ſententia, quæ & φίμος, & ἴδμος dicebatur. Sed non video quomodo hæc interpretatio his locis poſſit accomodari: quommodo enim in pſephobolo poſſunt grana conſiſtere; ſi ſit in formam infundibuli, vel coli utrimque perforatum, & ſolum ad trajiciendas teſſeras aptum? Atqui noſtri auctores in pſephobolo grana ponunt. Præterea qui fieri poteſt, ut grana illa eſſent numero ſeptem? Numerum illum refert vir doctiſſimus ad quatuor talos, & tres teſſeras. Sed eſt inauditum, ut eodem in ludo tali teſſeræque adhibeantur, neq; video quis poſſit eſſe talorum uſus in hoc ludo, in quo calculi ad jactus teſſerarum ſunt promovendi

Doctiſſimus *Turnebus* pſephobolum putat eſſe fritillum, in quo tali, & teſſeræ concutiebantur, & in alveolum conjiciebantur. Sed neque hæc interpretatio ad rem noſtram facit, cum præter pſephobolum pyrgus quoque nominetur, quem conſtat fritillum a Latinis dici. Non male quis poſſet interpretari pſephobolum eſſe non vas quo calculi, & teſſeræ jacerentur, ſed alveum in quem fritillo, ſeu

pyr-

pyrgo emitterentur. Cum enim tabula, dum luditur calculos ordine dispositos contineat, vix in eam tesseræ tuto jaci possunt, non detrusis calculis, eorumque dispositione perturbata. In hoc alveo servari solitos existimaverim calculos, hoc est septem illa grana, quæ Planetarum numerum referebant. Nisi quis tentare velit in hoc ludo non solum tesseras jaci solitas, sed etiam calculos, tesseras pyrgo, calculos psephobolo, ad similitudinem ludi Procorum, quem supra descripsimus, quo possunt referri verba illa Porphyrogenetæ, quæ nos interpretando ad nostram sententiam detorsimus. Καὶ τὰ ἐν αὐτὸ κικκία, ἅπερ τῷ ὀκτώβῳ ῥιπτάζονται.

Utcumque sit, videtur potius hic esse ludus tesserarum, quam calculorum; quare si fides est habenda his auctoribus non ludum calculorum Palamedes invenit, sed tesserarum, cui humanam vitam comparabat Plato, in qua & recte jaciendum est, & recte utendum est iis, quæ forte fortuna ceciderunt. Sed arbitror errasse hos auctores, & ab aliquo a quo omnes & sententiam, & verba mutuati sunt, in errorem inductos ludum Ægyptiorum a Theute inventum, ut refert Plato, Palamedi tribuisse. Multa enim concurrunt, quæ conjecturam hanc faciant.

Primum Græci interpretes Platonis tra-

diderunt ad eum locum ex Phædro, quem ſupra attulimus, ludum Ægyptiorum diverſum eſse a ludo Græcorum, eoq; motus aſtrorum repræſentari. Utinam extarent interpretes illi! Eorum tamen ſententiam nobis exponit *Euſtathius* in 1. Odyſs. his verbis. Πλάτων τῆς πέσσων εὑρεσιν Αἰγυπτίοις ἀνατίθησιν ἐν φαίδρῳ καὶ ὁ τὰ Πλάτωνος ὑπομνηματισάμενος οὐ τὴν παρ Ἕλλησι πεττείαν ἀλλὰ τὴν τὸ λεγομένου πεττοδίου: καταγραφεῖσαι γάρ τι πλίνθιον, ὥσπερ ἐν τῇ πεττευτικῇ παιδιᾷ, δι' οὗ τὰ κινήματα τοῦ ἡλίου, ἢ τῆς σελήνης, ἔτι δὲ τὰ ἐκλυπτικὰ φραγματεύονται οἱ Αἰγύπτιοι. *Plato* Calculorum inventionem ad Ægyptios refert in Phædro. Et Platonis interpretes non ludum calculorum, qui eſt in uſu apud Græcos, ſed ludum tabulæ (qui dicitur πεττεύτηριον). Delineari enim quemdam laterculum, ut in ludo calculorum, in quo motus Solis, & Lunæ, & aliorum præterea Planetarum repræſentant Ægyptii, (vel & præterea Stationes juxta Plinium l. 2. cap. 16.). En igitur quod ludus ille, in quo motus Planetarum & res Aſtronomica repræſentatur, Ægyptiorum eſt non Græcorum, & Palamedis. Quo confirmatur etiam Sententia, quam ſupra probavimus, videlicet ſeptem illa grana non teſseras fuiſse, ſed calculos, quorum motus motum Planetarum referret. Idem *Euſth.* in 2. librum Iliadis de Calculis; τὴν

αὐ-

αὐτῆς εὕρεσιν Αἰγυπτίοις ἀνατιθέασιν ἕτεροι. Καὶ οὐπαικτικὴ, ἀλλὰ φιλόσοφος, ἡ Αἰγυπτιακὴ πεττεία, λέγεται, ἐν ἄλλοις δηλοῦται. Eorum inventionem ad Ægyptios alii referunt, & non ludicrus, sed philosophicus fertur fuisse ludus Ægyptiorum, ut alibi demonstratum est. Ac sane verosimillimum est Ægyptios tam operosum, & ad rationem astronomicam compositum ludum excogitasse qui Astronomiæ inventores perhibentur, & in ea præcipue claruerunt, Græcosque longo post tempore instituerunt. *Aristot.* Αἰγύπτιοι, καὶ βαβυλώνιοι παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων. Ægyptii, & Babilonii, a quibus multa fide digna habemus de singulis Stellis. *Manil.* l. 1. Astron. de iis qui primum Astronomiæ operam dederunt.

Qui domuere feras gentes Oriente sub ipso
Quas secat Euphrates, in quas & Nilus inundat,
Qua Mundus redit, & nigras superevolat umbras.

M. Tull. lib. 1. de Divin. Ægyptii, & Babilonii in Camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi Cœli officere posset, omnem curam in siderum cognitionem posuerunt. Causam aliam affert *Ptolomæus* eamque Astrologiæ fundamentis innixam. ὅτι μᾶλλον συνοικεῖνται τοῖς

Διδύμοις καὶ τούτῳ Ερμοῦ. διόπερ διανοητικοί τε καὶ συνετοὶ καὶ ὅλως ἱκανοὶ περὶ τὰ μαθήματα. Quod magis Geminis & Mercurio ſubjecti ſunt, atque ea propter ingenioſi, & acuti ſunt, & omnino ad res Mathematicas apti. *Tycon Alexandrinus* in Arat. de iiſdem ἐδέξαντο δὲ αὐτὰ Ἕλληνες παρ' Αἰγυπτίων, καὶ Χαλδαίων. Ea Græci acceperunt ab Ægyptiis, & Chaldæis. Pl. lib. 7. cap. 57. Aſtrologiam (invenit) Atlas Lybiæ filius: ut alii, Ægyptii, ut alii, Aſſyrii.

Non ignoro Sophoclem Aſtronomiæ auctorem facere Palamedem in iis verſibus quos ſupra attulimus, & Philoſtratum Lemnium in Heroic. in Palam. memoriæ prodidiſſe eum inſtituiſſe annum, & in menſes diviſiſſe. Sed tamen certum eſt eum abſolutam Aſtronomiæ cognitionem habere non potuiſſe, ac ne vix quidem inchoatam, & rudem. Sed eſto; fuerit Palamedes Aſtronomus, credemuſne tamen ad oblectationem rudis, & indocti militis tam doctum, tam ſublime exercitamentum propoſuiſſe? Non potius ludum inſtituiſſe, belli quamdam ſpeciem præſeferentem aptam militum animis, artique quam profitebantur? Præſertim cum ipſe dux eſſet ſtrenuiſſimus, reique militaris peritiſſimus, ordinem exercitus, ſigni dationem, teſſeras, & vigilias invenerit, quæ in ludo aliquo repræſentaſſe

pro-

probabile est, quo referendus videtur *Philostratus* Lemnius in Heroic. in Palam. qui refert ipsum Calculos reperisse, ludum non desidem, atque ignavum, sed sollertem. Ὄντων δὲ τῆς Ἀχαιῶν ἐν Αὐλίδι στρατιᾶς ἄρην, οὐ ῥᾴδυμον παιδιὰν, ἀλλὰ ἀγχίνουν, καὶ μάλα σπουδῆς. Nec alia ratione poterat tumultuantis exercitus seditionem compescere, & aliquo levamento famis stimulos retundere, quam instituendo ludum ingenio militum accomodatum, quo a sensu famis acerbissimo, & seditionis concitandæ desiderio militum animus avocaretur. Hanc enim hujus ludi excogitandi causam veteres memoriæ prodiderunt. *Sophocles* in Palamede.

Ὀλιμώνου τοῦτος τὸν δ' ἄπωστε σὺν θεῷ
Εἶπεν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας,
— ἐφεῦρε &c.

An non abegit hic famem tristissimam
Artemque temporis fallendi reperit?

Eustb. ad lib. 2. Iliad. Καὶ Παλαμήδους ἐπινοηταμένου κυβείαν, καὶ πεττιάν ἐν Λιμνῷ εἰς παραμύθιον λιμοῦ καταχόντος τὴν στρατιάν. Et Palamedis excogitantis ludum tesserarum, & calculorum ad solatium famis, quæ exercitum invaserat. Lactant. Placiad. in Stat. Achill. lib. 1. Hunc autem constat fuisse prudentem, nam tabulas ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus.

Præterea belli Trojani, atque adeo Pa-

lamedis (*a*) temporibus non eo provecta erat rerum cœleſtium ſcientia, ut de numero Planetarum, de Zodiaco, de duodecim ſignis perfecta cognitio haberetur, cum Thales Mileſius, qui natus eſt poſt Trojam captam annis quingentis quinquaginta quatuor ſedulam operam princeps Aſtronomiæ feratur impendiſſe, & Solis, Lunæque defectiones prædixiſſe, Soliſque motum a Converſione ad Converſionem reperiſſe. Anaximander Mileſius Thalètis auditor annis poſt excidium Trojæ ſexcentis ſupra ſexaginta primus ſigniferi obliquitatem intellexit, hoc eſt rerum fores aperuit, & ſigna deinde in eo Cleoſtratus, & prima Arietis, ac Sagittarii. Alii vero obliquitatem Zodiaci Pythagoram ferunt inveniſſe, alii Ænopiden Chium, inter quos Diod. Sic. l. 1. Plutarch. de Placit. philoſ. Cenſorinus de die Nat. c. 19. & Theon Smyrnæus. Ac primus Pythagoras annis poſt Trojam captam 574. oſtendiſſe fertur Luciferum, ac Veſperum unam, eamdemque ſtellam eſſe, quæ aliquando Solem præcedat, aliquando pone ſequatur. Eſt autem una ex ſeptem errantibus, & Venus appellatur: quamobrem ante Pythagoram de numero Planetarum non poterat ſatis conſtare.

Un-

(a) *Diog. in ejus vita. Plin. lib. 1. c. 8. & lib. 2. c. 12. Euſeb.*

Unde igitur tanta in Palamede ante Trojæ excidium rei Astronomicæ cognitio?

Est igitur Ægyptiorum ludus, non Palamedis, quem supra laudati auctores descripserunt. Palemedis autem ludum fuisse puto eum, in quo quinque calculis ludebant in quinque lineis, de quo paulo post dicemus. Nobis tamen turbam faciunt plerique, qui in ludo Palamedis faciunt mentionem tesserarum, cum tamen in ludo quinque Calculorum nullus videatur fuisse tesserarum usus, & ex Hesych. colligi potest. *Paus.* in Chorinth. πέραν δὲ τοῦ Νεμείου Διὸς, Τύχης ἔστιν ἐκ παλαιοτάτου ναός, ὁ δὴ Παλαμήδης κύβους εὑρὼν ἀνέθηκεν ἐς τοῦτον τὸν ναόν. Super Næmei Jovis Fortunæ fanum est perantiquum, in hoc Palamedes inventas a se tesseras dedicavit. Idem in Phocicis. Καὶ Παλαμήδης τε, ὃ Θερσίτης κύβοις χρώμενοι παιδιᾷ τῷ Παλαμήδους ῥήματι. Palamedes, & Therstites tesseris ludentes, quem ludum Palamedes invenit. Vetus Epigramma.

Has acies bello similes cano, quas Palamedes.
Constituit casu vario, paribusque periclis.

Aliud Epigramma post descriptionem ludi tesserarum subdit.

Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit.

Sed facilis est, & prompta responsio, si dicamus utrumque ludum a Palamede in-

ventum, tum ludum quinque Calculorum, tum teſſerarum, non quidem operoſum illum Ægyptiorum, ſed communem Græcorum. Sane *Euſthat.* ad 2. Il. lib. ait Palamedem excogitaſſe ludum Calculorum, & ludum teſſerarum, & *Sophoc.* in Palamede.

Πέσσους, κύβους τερπνὸν ἀργίας ἄκος.
Levamen otii teſſeras & calculos.

Teſſerarum ludum communem Græcorum eſſe puto, quem illi Grammiſmum, & Diagrammiſmum appellabant. Ludebant autem 60. calculis albis, nigriſque, quos per lineas quaſdam huc illucque traducebant ad jactum teſſerarum ut puto, nam & a Polluce lib. 9. c. 7. recenſetur inter ſpecies ludi teſſerarum, & ab Euſthatio in lib. 7. Iliad. dicitur ſpecies ludi teſſerarum.

Veniamus jam ad ludum Palamedis, & Græcorum omnium. *Euſth.* ad 1. lib. Odyſſ. verſu 107. explicans carmen illud Sophoclis ἢ πέσσα πεντέγραμμα, καὶ κυβῶν βόλοι ait vocari a Sophocle πέσσα πεντέγραμμα, tum quia calculis quinque ludebant, tum quia eos in quinque lineis diſponebant, inter quas media erat quædam linea quę Sacra vocabatur; dictumque hunc ludum πεττεῖον a numero quinario, quaſi πεντεῖον. Idem quoque confirmat auctor Etymologici; Et *Pollux* lib. 9. c. 7. ἐπειδὴ δὲ ἕξ φοι μὲν αὐτῶν οἱ πεσσοὶ, πέντε δ' ἑκά-

τε-

τερος εἶχε τῶν παιζόντων ἐπὶ πέντε γραμμῶν εἰκότως εἴρηται Σοφοκλεῖ.

Καὶ πέσσε πεντάγραμμε, καὶ κύβων βολαί. τῶν δὲ πέντε ἑκατέρωθεν γραμμῶν μέσηις ἦν ἱερὰ καλουμένη γραμμή, καὶ ὁ τὸν ἐκεῖθεν κινῶν πεττὸν παροιμίαν ἐποίει, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Ἦδε δὲ διὰ πολλῶν λίθων παιδία πλινθίον ἐστὶ χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακεκριμένας: καὶ τὸ μὲν πλινθίον καλεῖται, τῶν δὲ λίθων ἑκάστη, κύων. διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν λίθων κατὰ τὰς χροιάς, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστὶ περιλαβεῖν τῶν δύο λίθων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. Quoniam vero peſſi ſunt calculi, & uterque luſor quinque calculos habebat in quinque lineis, merito dictum eſt a Sophocle, calculi quinquelineares, & teſſerarum jactus. Inter quinque autem lineas utrimque diſpoſitas media quædam, quæ ſacra linea vocabatur, & ab ea calculum movens adagio locum fecit: Moveo a ſacra calculum. Ludus autem multorum calculorum eſt Laterculus, ſedes in lineis diſpoſitas habens, & Laterculus vocatur urbs, & quilibet calculus canis. Diviſis autem in duas partes calculis ſecundum colorem, in eo poſita eſt ars ludi, ut duo ejuſdem coloris alterum diverſicolorem circumveniant, ac tollant. His Pollucis verbis, quantum ego conjectura aſſequor duo ludi calculorum deſcribuntur, quod a viris doctis non eſt animadverſum; alter quin-

que

que calculorum, alter multorum calculorum. De hoc poſtea, nunc de primo.

In ludo quinque calculorum nullum fuiſſe uſum teſſerarum argui poteſt ex *Heſychio*; ubi affert eumdem Sophoclis verſum, ac mox ſubdit διαφέρει δὲ πεττεία κυβείας ἐν ᾗ μὲν γὰρ τοὺς κύβους ἀναρρίπτουσιν, ἐν δὲ τῇ πεττείᾳ αὐτὸ μόνον τοὺς ψήφους μετακινοῦσι. Differt autem ludus calculorum a ludo teſſerarum quod in hoc teſſeras jaciunt, in illo vero ſolum calculos movent. Non alia de cauſa videtur monuiſſe quid differat ludus calculorum a ludo teſſerarum, niſi ut oſtendat in hoc calculorum ludo teſſeras non adhiberi. Uterque igitur habebat quinque calculos, eoſque diſponebat in lineis quinque in tabula delineatis hinc atque inde tranſverſim; in medio tabulæ per longitudinem ejus ducta erat quædam linea quæ Sacra vocabatur, in qua collocabatur calculus qui *Rex* dicebatur, nec loco movebatur niſi extrema urgente neceſſitate, quod & peritis ludi latrunculorum in uſu eſt, ut Regem non dimoveant, niſi grave ipſi periculum immineat. Quinque illas lineas, & lineam ſacram deſcripſit Pollux loco ſuperiore. Eadem ſæpe confirmat *Euſth.* ad primum Odyſſ. & præter alia his verbis. τοὺς δὲ πεσσοὺς λέγει ψήφους εἶναι πέντε, οἷς ἐπὶ πέντε γραμμῶν ἔπαιζον ἑκατέρωθεν, ἵνα ἕκαστος τῶν πεττευόντων ἔχῃ τὰς καθ'

καθ' ἑαυτὸν. Σοφόκλῆς· καὶ πεσσοὶ πεντάγραμμα, καὶ κύβων βολαι. Παρετείνετο δὲ φησὶ διὰ αὐτῆς, καὶ μέση γραμμὴ ἦν ἱερὰν ὠνόμαζον, ὡς ἀνωτέρω δηλοῦται, ἐπεὶ νικώμενος ἐπ' ἐσχάτην αὐτὴν ἵεται· ὅθεν καὶ παροιμία, κινεῖν τὸν ἀφ' ἱερᾶς λίθον δηλοῦσα, ἐπὶ τῶν ἀπεγνωσμένων, καὶ ἐσχάτης βοηθείας δεομένων. Pessos vero ait calculos esse quinque, quibus in quinque lineis ludebant utrimque, ita ut quisque haberet eos qui ad ejus partem erant collocati. Sophocles. Et Calculi quinque lineares, & tesserarum jactus. Protendebatur autem, inquit, per ipsas media quædam linea, quam Sacram vocabant, ut supra demonstratum est, quoniam victus ad eam postremo confugit, unde adagium: Moveo a Sacra lapidem, scilicet quod dicitur de desperatis, & qui extremo indigent auxilio. De hoc adagio *Diogenianus* Centur. 5. Prov. 41. κινήσω τὸν ἀφ' ἱερᾶς. Ἐπὶ τῶν τὰ ἔσχατα κινδυνευόντων. Movebo a Sacra (Calculum), de iis qui extremo sunt in periculo. Meminerunt etiam Hesychius, & Suidas & Sophron, quem laudat Eustathius loco quem explicamus. Observandum autem est lineam illam non solum Sacram fuisse vocatam, sed etiam lineam sine adjuncto propter quamdam excellentiam *Theocr.* Id. 6. Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λιθόν, & a linea Calculum movet. *Eusth.* de Ismeniæ, & Ismenes amoribus l. 10. αἱ δέ γε μη-

μητέρες ἡμῶν, καὶ λίθον, ὃ φασι, τὸν ἀπὸ γραμμῆς κινοῦσι πρὸς δάκρυα. Et matres noſtræ lapidem, ut dicitur a linea movent ad lacrymas. Lapis autem ille in Sacra linea collocatus rex dicebatur. Ita nos vetus monet *Theocriti* Scholiaſtes, ad illud hemiſtychium Theocriti, quod modo attulimus: ἐκεῖνοι γὰρ ὅταν πολλὰ ποιήσαντες, οὐ δύνανται ἑτέρως νικῆσαι τὸν ὅμοιον παίκτωρα, κινοῦσι, καὶ τὸν ἀπὸ γραμμῆς λίθον, τὸν οὕτω βασιλέα καλούμενον. Illi enim, cum multa tentantes, non poſſunt vincere adverſarium, movent Lapidem a linea, qui Rex appellatur. Diodorus Megarenſis hunc lapidem ad ſimilitudinem refert motus aſtrorum. Et Clearchus quinque Calculos quinque Planetis reſpondere dicebat, ut ibidem notat Euſthatius.

Diverſum fuiſſe ludum multorum calculorum judico, qui πολις, hoc eſt urbs dicebatur. Non obſcure hunc ab illo diſtinguit Pollux in verbis ſuperioribus; poſtquam enim ludum illum quinque calculorum deſcripſit, ſubdit, quaſi de alio loquutus: Ludus autem multorum calculorum eſt laterculus &c. & hunc deſcribit ab illo paulum diverſum. Non ſecus *Euſtbatius* qui ubi multa dixit de ludo quinque calculorum, aut quinque linearum, multa ſubdit de ludo talorum, eorumque jactibus; poſtea ſubnectit quædam de ludo multorum calculorum, qui

Urbs

Urbs dicitur περὶ δὲ τῦ εἰρημένυ κυνός, κα-κεῖνο λέγει αὐτὸς γραφὴν, ᾧ ἄλαχε, ὅτι εἶ-δος τι κυβείας, καὶ πόλις, ἐν ᾗ ψήφων πολλῶν ἐν διαγεγραμμέναις τισὶ χώραις κειμένων ἐγί-νετο ἀνταναίρεσις, καὶ ἐκαλοῦντο αἱ μὲν γραμ-μικαὶ χῶραι, πόλεις ἀστειότερον, αἱ δὲ ἀντε-πιβουλεύσαι ἀλήλαις ψῆφοι, κύνες διὰ τὸ ἀνδ-δεν ἀναιδές. De dicto autem cane etiam illud ipse dicit, quod alibi quoque scripsit, quod species quædam ludi tesseraru̇m (κυβείας fortasse legendum πεττεία ludi calculorum, quamquam cubos & calculos confundebant, ut supra notavimus) est etiam urbs, in qua multis calculis collocatis in quibusdam descriptis sedibus fiebat mutua sublatio, & sedes illæ lineis descriptæ urbes vocabantur elegantius; calculi autem qui sibi ipsis insidiabantur invicem, canes propter impudentiam. Animadvertendum etiam est quod in ludo quinque Calculorum nusquam sedes seu regiones, valli, septa nominantur, sed semper lineæ, quia ibi calculi non in spatio aliquo a lineis mutuo sese intersecantibus comprehenso collocabantur, ut in hoc ludo, sed in ipsis lineis per quas ducebantur. Quapropter sicut in hoc ludo semper mentio fit urbium, regionum, septorum &c. ita in illo semper linearum, unde *Sophocles* non sine causa, ut illum ludum ab hoc distingueret, dixit πεσσὰ πεντάγραμμα, Calculos quin-

quinquelineares. *Pollux* lib. 9. cap. 7. πέντε δὲ ἑκάτερος εἶχε τῶν παιζόντων ἐπὶ πέντε γραμμῶν. Quinque Calculos habebat uterque luſor in quinque lineis, & mox τῶν δὲ πέντε ἑκατέρωθεν γραμμῶν μέση τις ἦν ἱερὰ καλουμένη γραμμή. Erat autem quædam linea media inter lineas utrimque ductas, quæ Sacra vocabatur. Etymologici auctor. πεσσὰ ὁμονύμως ἥπτε γραμμή, ἢ ἡ ψῆφος. πέντε δὲ εἰσὰν οἷς ἐχρῶντο, ἢ πεσσὰ πεντάγραμμα. Peſſi pariter vocantur & linea, & calculus, quinque autem erant, quibus utebantur, & calculi quinquelineares, & mox ἐπὶ δὲ τῶ πέντε γραμμῶν τὰς ψήφους ἐτίθεν ὧν ἡ μέση γραμμὴ ἱερὰ ἐκαλεῖτο. In quinque lineis calculos collocabant, quarum media linea ſacra vocabatur. *Heſychius* πέντε γραμμαῖς ἔπαιζον. Quinque lineis ludebant. Vides in hoc ludo lineas ubique nominari, nuſquam regiones, aut urbes. Eaſdem lineas in hoc ludo perſæpius commemorat Euſthatius, ſed verba ejus partim alibi a nobis ſunt ſcripta, partim apud eum legi poſſunt. Contra in ludo multorum calculorum non lineæ nominantur ſed urbes, & regiones, ac loca lineis deſcripta *Zenob.* cent. 5. Prov. 67. ἡ δὲ πόλις εἶδός ἐστι, παιδίας πεττευτικῆς, καὶ δοκεῖ μετενηνέοχθαι ἀπὸ τῶν ταῖς ψήφοις παιζόντων, ταῖς λεγομέναις νῦν μὲν χώραις, τότε δὲ πόλεσιν. Urbs eſt ſpecies ludi calculorum, & videtur de-

deductum ab iis, qui calculis ludunt in iis, quæ nunc χώραι sedes, regiones dicuntur, tunc autem dicebantur urbes. Plura non afferam, observari enim id potest in iis, quæ a nobis sparsim sunt allata, ac præsertim cum de tabula ageremus, & vocibus ad eam pertinentibus. Apud Romanos quoque duo erant ludorum genera, ludus latrunculorum, in quo semper valli, septa, mandræ nominantur; & ludus duodecim Scriptorum longe ab eo diversum, in quo semper scripta, & scriptula apud auctores occurrunt. Sunt enim scripta, & scriptula apud Latinos, quod apud Græcos γράμμαι lineæ. Quare vetus Epigramma Scriptorum tramitem nominat.

Et quamvis pariter scriptorum tramite currant,
Is capiet palmam quem bona fata juvant.

Et Isidorus lib. 17. in cap. de Figuris: aleæ vias appellat: Sed & ipsas vias senariis locis distinctas propter ætates hominum argumentantur. Eodem viæ nomine utitur Agathias in Epigram. Græc. in tabulam Zenonis Imperatoris.

Τοίη ποικιλόπτυκτος ἕλεν θέσις οὐτ' ἀπὸ λευκοῦ
Τοῦ ἠὲ ὀπισθοδίην εἰς ὁδὸν ἐρχομένου.

Est igitur ludus quinque calculorum apud Græcos similis ludo duodecim scripto-

ptorum apud Latinos, ſaltem quoad motum calculorum per lineas. Ludus autem multorum calculorum ſimilis eſt ludo latrunculorum, ac, ut puto, pene idem. In hoc igitur ludo uterque luſor ſuos habebat calculos, quos ita promovebat, ut adverſis calculis inſidiaretur, quam ob rem recte dixit Euſthatius calculos ſibi invicem inſidiantes; Conabatur ſcilicet adverſarii calculos, aut circumvenire, aut concludere. Si duobus calculis calculum adverſarii circumveniſſet, eum de medio tollebat, ſi concluſiſſet, moveri illud non poterat. Diſcimus hoc ex Platone in 6. lib. Polit. qui ait illos, qui a Socrate interrogarentur, ita poſtremo ejus interrogationibus in anguſtias deduci, ut contra hiſcere non poſſent, quemamodum in ludo calculorum imperiti a peritis ita ad extremum concluduntur, ut nullum amplius habeant calculum quo contra niti poſſint. ὥσπερ ὑπὸ τῶν πεττευόντων δεινῶν, οἱ μὴ, τελευτῶντες ἀποκλείονται καὶ οὐκ ἔχουσιν ὅτι φερωσι. Eodem pertinet ſubiecti ſimilitudo in ſecundo hiſtoriarum, ubi ducem belli comparat luſori calculorum: inquit ille πολλοὺς ἀποτέμνομενος, καὶ συγκλείων, ὥστερ ἀγαθος πεττεύτης. Multos cædens atque concludens tamquam peritus luſor calculorum. Calculi igitur aut claudebantur ut moveri non poſſent, aut tollebantur, cum autem eo ventum erat,

ut

ut unus tantum calculus adversario supereſſet, victus erat, & μονοκώρος dicebatur, hoc eſt ad unam regionem, ad unum calculum redactus. Veteres gloſſæ verbum hoc ita explicant μονόχωρος ἐν τάβλῃ adunatus in tabula. Adunatum dicunt eum qui ad unum calculum redactus eſt. Hinc eleganter *Ariſtænetus*, in Epiſtola in qua ille amans luſor teſſerarum tum in amore, tum in ludo æque infortunatus de ſua fortuna queritur, hunc titulum præpoſuit μονοχώρος φυλοκύβῳ. Monochorus Philocubo. Nomen ſcilicet accepit amator ille atque aleator infelix ab infortuniis ſuis, ſcribitque ad amicum ludi teſſerarum. Ille etiam qui cum paucioribus calculis relinquebatur, victus diſcedebat. *Artemidorus* lib. 3. Oniro. cap. 1. εἰ δέ τις νοσῶν παίζειν ὑπολάβοι ψήφους ἢ ἄλλον παίζοντα ἴδοι, κακόν· μάλιστα δὲ εἰ αὐτὸς λίποιτο· ἐπειδὴ μείονας ἔχων ψήφους καταλείπεται ὀνικώμενος. Si æger videatur ſibi calculis ludere, vel alium ludentem videat malum. Maxime vero ſi ipſe vincatur, quoniam cum paucioribus calculis victus, relinquitur. Eodem alludit *Achines* Onirocrit. cap. 241. εἰ δὲ ἐδόκει ὅτι παίζων ἔλαβε πλείονας ἢ τὰ παιγνίου πρόσωπα, πλείονας δεσμώσει ἢ πολεμίων. Si vero videat quod ludens plures ludi perſonas ceperit, plures hoſtes vincet. Sed de his latius agemus cum de ludo Latinorum, in quo eadem omnia.

An

An vero omnium calculorum eadem vis eſſet & poteſtas, an alii aliis eſſent potentiores, nuſquam, quod ſciam a veteribus aperte traditum. Verumtamen non pares omnium fuiſſe vires conjicere poſſumus ex quibuſdam Platonis verbis, ſive alterius, cujuſcumque ſit, ille de divitiis dialogus. ὥσπερ ἐν τῇ πεττείᾳ εἶναι πεττὸς ὃς εἴ τις φέροιτο, δύναιτο ἂν τὸς ἀντιπαίζοντας ποιεῖν ἥπαξ ἆθαι οὕτως, ὥστε μὴ ἔχειν ὅτι πρὸς ταῦτα ἀντιφέρωσι. Quemadmodum in ludo calculorum quoſdam eſſe calculos, quos ſi quis promoveat, poſſit cogere eos, quibuſcum ludit ad deditionem, ita ut non poſſint reſiſtere. Videtur quodammodo hos calculos inſuperabiles efficere, quod puto contigiſſe cum recte, atque opportune quis eos promoviſſet, adverſario jam ejus generis calculis ſpoliato. Neque dubito in ludo quinque callorum ſingularem quamdam vim fuiſſe ejus calculi, qui in ſacra linea conſtitutus Rex appellabatur, ut indicant nobis verba Græci Scholiaſtes Theocriti, & aliorum quæ ſupra excripſimus, ubi de hoc ludo diximus, unde petenda ſunt. Ad Romanos veniamus.

CA-

CAPUT VI.

De ludo Calculorum apud Romanos. Varias apud eos fuisse ludendi rationes. De duodecim Scriptis pauca observata, & copiose de Latrunculis.

APud Romanos non secus ac apud Græcos in usu fuisse plures modos ludendi calculis constat. Primus occurrit ludus ille quem duobus versibus describit *Ovidius* in lib. 2. Fast.

Parva sedet ternis instructa taberna lapillis,
In qua vicisse est continuasse suos.

Et rursus in l. 3. Art. Am.

Parva tabella capit ternos utrimque lapillos,
In qua vicisse est continuasse suos.

Hoc modo apud nos pueri ludunt, descriptis in lapide quibusdam lineis, uterque tres Calculos accipit, & in illis lineis disponit alterne, mox per lineas illas traducit, & qui prius tres suos Calculos in eadem linea continuaverit, victor est.

Post hunc ludum puerilem occurrit nobis ludus duodecim scriptorum, a magnis etiam viris magni factus; si quidem constat Scævolam virum sapientissimum hoc ludo maxime delectatum fuisse. Qui ludum duodecim scriptorum putant esse ludum

dum latrunculorum tam longe abhorrent a vero quam qui maxime. Nunquam in hoc ludo latronum, & hoſtium, nunquam militum, numquam belli, reique militaris mentio apud veteres, ut in ludo latrunculorum; ac propterea non obſcure diſtinguuntur hi duo ludi ab Ovidio de arte Amandi, cujus verſus infra ſubjiciemus opportunius.

Multo magis veritati conſentanea eſt plerorumque ſententia exiſtimantium ludum 12. ſcriptorum eſse ludum teſſerarum, cui Plato vitam humanam comparabat, de quo *Terentius* in Adelph.

Ita vita eſt hominum quaſi cum ludas teſſeris.

Si illud, quod maxime opus eſt, jactu non cadit,

Illud, quod cecidit forte, id arte, ut corrigas.

Plutarchus quoque tradit Antigonum comparaſse Pyrrhum luſori teſſerarum, qui multa jaceret, & jactis recte uti neſciret.

Ego vero, ut dicam quod ſentio, adduci non poſſum, ut credam veteres in ludo duodecim ſcriptorum uſos fuiſse teſſeris, nuſquam enim in hoc ludo fortunæ, aut teſſerarum meminerunt. Præterea *Ovidius* in lib. 3. de Arte amandi disjungit hos ludos, quod ut poſſit intelligi, omnes ejus verſus adſcribam, in quibus pleroſ-

rosque ludos nominat, & amantem instruit.

Parva monere pudet, talorum dicere jactus,
Ut sciat & vires tessera missa tuas.
Et modo tres jactet numeros, modo cogitet apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.
Cautaque non stulte Latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus hoste perit;
Bellatorque suo prensus sine compare pugnet,
Æmulus, & cœptum sæpe recurrat iter.
Reticuloque pilæ læves fundantur aperto,
Nec nisi, quam tolles, ulla movenda pila est.
Est genus in totidem tenui ratione redactum,
Scriptula quot menses lubricus annus habet.
Parva tabella capit ternos utrimque lapillos,
In quo vicisse est continuasse suos.

Animadvertendum est tribus illis versibus, qui post sequuntur describi ludos tesserarum. *Modo cogitet apte quam subeat partem callida* dictum videtur de ludo tesserarum in quo post jactos numeros, hoc est post jactas tesseras (idem 2. trist. *Tesse-*

ra quos habet numeros,) cogitandum eſt, quam partem calculis ſubeamus, hoc eſt quo promoveamus calculos. Eodem referri poſſunt verba ſuperioris verſus: *Ut ſciat & vires teſſera miſſa tuas*, ſcire vires teſſerarum, & ſcire quo promovendi ſint calculi in hoc, aut illo teſſerarum jactu, quod idem *Ovidius* dixit. 2. Triſt.

Mittere quo deceat, quo dare miſſa modo.

Deinde ſubjicit, *quamque vocet*, quod referri debet ad illum ludum teſſerarum, cujus ſupra meminimus, in quo qui numerum vocabat, vincebat ſi numerus ille jactis teſseris cecidiſſet. Poſt ludos teſſerarum deſcribit ludum Latrunculorum, atque inde ludum pilæ, ac demum duos ludos calculorum annectit, ludum 12. Scriptorum, & ludum trium calculorum. An igitur dicemus in fine repetiiſſe eumdem ludum quem initio deſcripſerat? Sed eſto non deſcripſerit primis illis verbis ludum teſſerarum cum calculis, an non ſtatim duos hoſce verſus ſubjeciſſet iis, in quibus agebat de teſſeris, cum non minus commode ibi, quam hic inſeri potuerint? An dicendum eſt eum de ludis teſſerarum agentem præcipuum teſſerarum ludum, & qui per excellentiam teſſerarum ludus dicitur, omiſiſſe, ut alio loco importune reponeret, & conjungeret cum Ludo calculorum, in quo nullus teſſerarum eſt uſus, cujuſmodi eſt ludus trium Lapillorum?

Eam-

Eamdem sententiam confirmant Quintiliani verba, si perpendantur paulo accuratius. Agit auctor ille in lib. XI. Instit. Orat. c. 2. de memoria, iisque quæ prosunt ad memoriam augendam. Verum & in his, quæ scripsimus complectendis multum valent, & in his quæ cogitamus, continendis, divisio, & compositio. Nam qui recte diviserit, numquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt etenim non solum in digerendis quæstionibus, sed etiam exequendis, si modo recte dicimus, prima, ac secunda, & deinceps, cohæretque omnis rerum copulatio, ut nihil ei subtrahi sine manifesto intellectu, neque inseri possit. An vero Scævola in ludo duodecim Scriptorum, cum prior calculum promovisset, esset victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraset, recordatus, rediit ad eum quicum luserat, isque ita factum esse confessus est: minus idem ordo valebit in oratione, præsertim totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille valeat alternus? Plura sunt, quæ in his verbis animadverti velim. Primum si ludus is duodecim Scriptorum esset ludus tesserarum, non satis apte hujus ludi exemplum attulisset Quintilianus, ut probaret quantum conferat ordo & dispositio memoriæ: cum in ludo tesserarum nullus sit certus ordo nulla certa dispo-

ſitio, ſed tota pendeat ab incerto caſu teſſerarum. Præterea ad augendam vim argumenti Quintilianus ait; quod ſi ordo ille alternus in ludo 12. Scriptorum multum prodeſt, qui non eſt arbitrio noſtro omnino conſtitutus atque continuus, cum alterne calculos moveant ludentes, eoſque diſponant juxta diſpoſitionem adverſarii, quantum putamus prodeſſe in oratione, in qua res omnino arbitrio noſtro, nec interrupta ſerie digeruntur. In ludo autem teſſerarum ordo arbitrio noſtro non conſtituitur, non quia ſit alternus, ſed quia pendet a jactu teſſerarum, & fortunæ arbitrio dirigendus eſt motus calculorum, qui etſi continuus eſſet, non interruptus, & alternus, tamen arbitrio noſtro non diſponeretur. Potius igitur hoc modo fuerat argumentandum. Si tantum valet ordo (ſi quidem hic ordo dici poteſt) arbitrio pene fortunæ, & pro jactu teſſerarum conſtitutus, quantum valebit ordo in oratione, in qua totus arbitrio noſtro conſtituitur. Quanto majorem vim haberet argumentum. Certe *Auſonius* hoc argumenti genere uſus eſt ad extollendam vim memoriæ in Tiberio Nerone:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo
Omnes, qui fuerant enumeraſſe boſ-
los. (a) *Al-*

(a) jactus teſſerarum.

Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excisi per cava buxa gradus.
Narrantem fido post singula puncta recursu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Præterea cur notat Quintilianus Scævolam priorem calculum promovisse, ac propterea repetiisse totum ordinem certaminis, ut sciret quem calculum male promovisset? Quid refert in ludo tesserarum prior, an secundus calculum promoveas? Et an non facile vinci potes etiam si numquam erres; immo etiamsi sæpe erret adversarius te numquam errante, cum pleraque in eo ludo fortunæ tribuenda sint? Subolere mihi videor hunc fuisse ludum quem nos vocamus *Dama*, in quo periti, ac maxime exercitati vinci non possunt, si primi calculum promoveant, & in dandis calculis, hoc est promovendis, numquam erraverint. Non mirum igitur si Scævola, qui teste M. Tullio 1. de Orat. peritissimus erat Scriptorum lusor, cum primus calculum promovisset, & victus esset, cogitare cœpit quo dato errasset, & recordatus rediit ad eum qui cum luserat, isque ita factum confessus est. Merito igitur jactu tesserarum decernebatur quis prior calculum deberet promovere. Vetus Epigramma, quod non recte

cum alio ejuſdem generis conjunxit *Salmaſius*, cum ab eo ſejungi debeat, monente *P. Scriverio*

Compoſita eſt tabulæ, nunc talis formula belli,
Cujus miſſa facit teſſera principium.
Ludentes vario tum exercent prælia fato
Ruſſeus, an nitidus præmia ſorte ferat.
Paſcitur a multis avide damnoſa voluptas,
Ne fœdet gliſcens otia ſegnities.
Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
Et parili excellens Mutius ingenio.

Conſtat enim Mutium Scævolam in ludo pilæ, & 12. Scriptorum excelluiſſe. Cicero primo de Orat. Licet iſta ratione dicamus pila bene, & duodecim ſcriptis ludere proprium eſſe juris Civilis, quoniam utrumque eorum P. Mutius optime fecerit. Val. Max. lib. 8. cap. 8. Scævola quietæ remiſſionis certiſſimus teſtis optime pila luſiſſe traditur, quia videlicet ad hoc diverticulum animum ſuum forenſibus miniſteriis fatigatum transferre ſolebat. Alveo quoque, & calculis interdum vacaſſe dicitur, cum bene, ac diu jura civium, ac cæremonias Deorum ordinaſſet. Ut enim in rebus ſeriis Scævolam, ita & in ſcurrilibus hominem agebat, quem

quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit. Scripsimus *alveo*, non *aleæ*; convenit enim inter doctes ita legendum esse. Rideo vero, cum video quosdam eximia doctrina viros, cum omnia obnixe fecerint, ut probent ludum duodecim Scriptorum esse ludum tesserarum, postea omni opera contendere aleam non posse convenire Scævolæ sapientissimo viro; cum inhonesta sit, & ut ait Horatius, malis vetita legibus alea; quasi vero non constet Scævolam duodecim Scriptis optime lusisse, & ludum tesserarum esse aleam; immo licet aleæ nomen comprehendat omnes ludos in quibus fortuna nominatur, tamen præcipue, & per excellentiam significat ludum tesserarum. Sed ad rem nostram redeamus.

Eodem refero, verba illa Ciceronis in Hortensio, quæ referuntur a Nonio in voce *Scripta*: Itaque tibi concedo, quod in Calculis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet. Dubitandum enim non est quin hæc verba Ciceronis ad illa Platonis in Hipparcho sint referenda. ἀλλα μὴν κὴ ὥσπερ πεττεύων ἐθελά σοι ἐν τοὶς λογόις ἀναδέδαι ὁτι βουλεί τῶν ἠρήμενον ἵνα μὴ ὀιη ἐξαπαδάδαι. Atqui tamquam ludens calculis volo tibi concedere, ut corrigas quodcumque volueris eorum, quæ dixisti ne decipi possis. Usus est Plato verbo ἀναδέδαι, quod est proprium ludi

calculorum, & ſignificat calculum reducere. Heſychius ἀναδέδαι pœnitere dicebatur in calculis, ludentes enim calculos corrigebant. Idem confirmat Suidas in verb. μεταδαι. Quare Antipho περὶ ὁμονοίας eleganter ait non licere vitam revocare atque corrigere, ſicut calculum. Videtur igitur Cicero de duodecim ſcriptis interpretatus Platonem, qui utitur verbo πεττεύον, quod apud veteres, præſertim Platonem, ſignificare ludum calculorum ſine teſſeris ſupradiximus 1.

Hæc omnia a nobis obſervata concurrunt, qui conjecturam hanc faciamus, ludum 12. Scriptorum ſine teſſeris luſiſſe veteres. Porro *Iſidorus* tres tantum lineas non duodecim in ludo teſſerarum videtur agnoſcere, & in tribus lineis ſex loca diſtincta punctis fortaſſe. Verba ejus in lib. 18. c. 64. ſunt hæc. Nam tribus teſſeris ludere perhibent propter tria ſæculi tempora præterita, præſentia, & futura, quia non ſtant, ſed decurrunt; Sed ipſas vias ternariis locis diſtinctas propter ætates hominum, ternariis lineis propter tempora argumentantur. Inde & tabulam ternis deſcriptam dicunt lineis. Obſervandum autem eſt hæc ab Iſidoro agi de veteri ludo teſſerarum; recentiores enim duabus teſſeris utebantur, veteres tribus, ut ſupra demonſtravimus.

Ve-

Verutamen negare non ausim recentiores etiam in ludo duodecim Scriptorum tesseras adhibuisse, vel potius ludo tesserarum nomen illud accomodasse. Non secus ac apud Græcos factum notavimus, qui nomen πεττεία quod proprium erat ludi calculorum transtulerunt ad ludum tesserarum. Vetus Epigramma de tabula:

Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens.
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, quem bona fata juvant.

Sunt qui huc etiam referant Martialis versum de tabula lusoria

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto,

bisenum punctum interpretantes duodecim scripta. Sed certe Martialis designare voluit puncta tesseris inusta, & duos seniones duabus tesseris (neque enim tribus tunc utebantur) inscripto. Ita Suetonius de Nerone in vita ejus Imperatoris c. 30. Nero profusissimus quadrigenis in punctum HS aleam lusit. Eodem videntur pertinere versus Ausonii

Narrantem fido post singula puncta recursu
Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Narrantem ſcilicet quomodo calculi promoti fuiſsent ad ſingulos jactus teſserarum,& puncta quæ ceciderant. Græci τρημάτα appellant,quaſi foramina,quibus color immiſsus puncta quædam colorata efficit. Quare τρημάκται apud Dorienſes dicti ſunt luſores teſserarum, & τρηματίζοντες, ut teſtatur Euſth. ad Iliad. *l.16.*& 1.Odyſſeæ, loco ſupracitato. Pollux lib. 9. c. 7. Heſychius in voce τρημάτα. Atque hæc de hoc ludo obſervaſse ſufficiat.

Duo ludi ſuperiores etſi calculis abſolverentur, tamen ludi calculorum non dicebantur. Solus is, quem ſumus explicaturi, ludus calcorum, & ludus calculorum proprie dicebatur. Referebat hic non obſcuram belli imaginem. Quemadmodum enim in bello hoſtes, aut interficiuntur, ut ſublati de medio non pugnent, aut capiuntur, ut vincti captivique neque ſuis auxilio, neque adverſariis detrimento eſse poſſint; ita eſt & in ludo calculorum; adverſi calculi, aut de medio tollebantur aut concludebantur, & alligabantur, ita ut ſe expedire, ac loco movere non poſſent. Quod primum eſt hujus artis, tolli calculus non poterat, niſi ſolus deprehenderetur in campo, & a duobus adverſæ partis calculis circumventus opprimeretur. In hoc itaque erat incumbendum, ut adverſa frangeretur, ac diſſiparetur acies, & in medios prorumperetur, quo diſpa-

la-

latos adoriri, & incomitatos ac præsidiis destitutos circumvenire liceret, & interficere circumventos. Captivum autem calculum alligare, atque concludere, etiam unus adversæ partis poterat, quin immo etiam unus duos poterat coercere, videlicet, ut puto, pro varietate locorum, in quibus deprehendebantur, & prout ipsi semetipsos impediebant, & clauso etiam a suis aditu non pateret usquam erumpendi, atque evadendi locus. Quo fiebat ut aliquando calculus alligatus, atque conclusus hostium manus effugeret, fractisque vinculis in campum iterum bellaturus descenderet, vel expeditus a suis, vel liberatus ab adversariis coactis alio se transferre ad socios defendendos. Ac ne ullum deesset belli simulacrum, etiam insidiis locus, & fraude, ac dolo res gerebatur, & calculi quidam insidebant loca opportuna ad aggrediendos ex improviso hostes incautos. Exposita jam est a nobis tota ludendi ratio, nunc singula sunt veterum testimoniis, & auctoritate confirmanda. Utramque artem tollendi, & concludendi calculos paucis verbis complexus est *Polybius* lib. 2. his. πολλὰς ἀποτεμνόμενος, καὶ συγκλείων, ὥσπερ ἀγαθὸς πεττευτής. Multos cædens, atque concludens tamquam peritus lusor calculorum. Cædi autem, ac tolli non poterat nisi circumventus a duobus fuis-

ſet. *Martial.* l. 14. de tabula luſoria

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto,
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Ovidius in lib. 3. de Art. am. rem omnem exequitur elegantiſſime, quem imitatus eſt Martialis in ſuperiore diſticho.

Cautaque non ſtulte latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus hoſte perit.
Bellatorque ſuo prehenſus ſine compare pugnet
Æmulus & cœptum ſæpe recurrat iter.

Idem totidem verſibus idem. *Ovidius* exponit in l. 2. Triſt.

Diſcolor ut recto graſſetur tramite miles,
Cum medius gemino calculus hoſte perit.
Ut mage velle ſequi ſciat, & revocare priorem,
Ne tuto fugiens incomitatus eat.

Qui verſus paulo accuratius ſunt perpendendi. Primum ex iis aſſequimur non potuiſſe calculum a duobus adverſæ partis tolli, niſi prius circumventus fuiſſet, & medius inter duos hoſtes fuiſſet deprehenſus. Hoc videtur ſignificare in 2. illo verſu

Cum medius gemino calculus hoſte perit.

Præterea non potuiſſe tolli calculum, qui ab alio ſtipatus defendebatur, ſed cum in-

co-

comitatus ibat, & sine compare pugnabat. Tunc autem si a duobus invaderetur, unum erat effugium in fuga, ut constat ex descriptis versibus Panegyrista in Poematio ad Pisonem, quod non recte quidam Ovidio, quidam Lucano adscribunt, cum neutrius musam sapiat

Sed quis non tibi terga dedit; quis te duce cessit
Calculus, aut quis non perituras perdidit hostes?

Idem paucis versibus expressit artem alligandi calculos, & in agmina prorumpendi facta acie, nosque docet uno calculo duos adversarios alligari potuisse:

Callidiore modo tabula variatur aperto
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.

Et paulo post:

—— hic ad majora movetur
Ut citus effracta prorumpat in agmina mandra,
Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.

Et rursus

Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos.

Calculos ligari, & obligari dixit, quoniam ita impediebantur, ut moveri, ac pugnare non possent, donec aut ipsi sese a vin-

a vinculis expedirent, aut ab aliis liberarentur. Quod fieri potuiſſe verba *Senecæ*, demonſtrant in ep. 117. Nemo qui ad incendium domus ſuæ currit, tabulam latruncularem perſpicit, ut ſciat quomodo alligatus exeat calculus. Alii verbo claudendi uſi ſunt ad eamdem rem exprimendam. *Mart.* l. 7. ep. 71.

Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clauſos.

De inſidiis calculorum nos monet Panegyriſta ad Piſonem.

Mille modis acies tua dimicat; ille petentem
Dum fugit, ipſe rapit; longo venit ille receſſu
Qui ſtetit in ſpeculis; hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem,
Ancipites ſubit ille moras.

Martialis.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum.

Hæc erat tota ratio ludendi. Victor autem diſcedebat qui omnes adverſarii calculos aut ſuſtulerat, aut incluſerat; ſi ludus nondum finitus erat, ille qui plures cœperat. Facem nobis præfert Seneca de Tranq. c. 14. ubi Julii Cani conſtantiam extollit, qui cum Cajo diu multumque altercatus, poſtquam abeunti: Phalaris, ille dixit, ne forte inepta ſpe tibi blandia-

ris,

ris, duci te jussi; gratias inquit ago, optime Princeps. Ludebat hic latrunculis cum centurio agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet: vocatus numeravit calculos: vide inquam, ne post mortem meam mentiaris te vicisse: tum annuens centurioni, testis, inquit, eris me uno antecedere.

In hoc ludo unus ex lusoribus imperator exire dicebatur, fortasse, ut puto, victor ipse, utpote qui calculum illum qui Rex dicebatur servasset illæsum (siquidem in hoc ludo calculo illo, sicut Græci utebantur) nusquam enim apud Latinos hujus rei est mentio ulla. Flavius Vopisc. in Procul. In imperium vocitatus est ludo pene, & joco, ut Onesimus dicit: quod quidem apud nullum alium reperisse me scio. Nam cum in convivio quodam ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra: Ave, inquit Auguste, allataque lana purpurea humeris ejus junxit, eumque adoravit. Debuit igitur Imperium ludo latrunculorum Proculus. Nec mirum cum Regilianus sit salutatus Imperator, quod nomen ejus a Regno deductum crederetur. Erat autem magnum hujus ludi momentum in futuris eventibus ut Onirocritici arbitrantur. Achones Onirocrit. cap. 241. ὁ βασιλεύς, ἢ μέγιστος, ἢ ἄρχων πολέμου, ἐὰν ἴδῃ ὅτι τὸ ζατρίκιονα αὐ-

αὐτὸν ἀτιώλετο, ἢ ἐκλάδη, ἢ ἐκλάπη, ἀπολέσθαι τὸν στρατὸν αὐτῆ &c. ſeu Rex, aut potens, aut dux aliquis in ſomnis viderit Zatricium ſuum periiſſe, aut fractum, aut ſurreptum fuiſſe, exercitum amittet & magnam in bello cladem patietur. Quare iſtud quæris? quia totum Zatricii negotium bellum erat, aut belli ſimulacrum. *Artemid.* l. 3. cap. 1. εἰ δέ τις νοσῶν παίζειν ὑπολάβοι ψήφοις, ἢ ἄλλον παίζοντα ἴδῃ κακὸν μάλιστα δὲ εἰ αὐτὸς λείποιτο. Si quis laborans ſibi calculis ludere videatur, vel alium ludentem videat, malum, maxime vero ſi ipſe ſuperetur. Multa alia de divinatione per ſomnium, quam nobis exhibet ludus Latrunculorum, legi poſſunt apud hos auctores ſomniorum interpretes, locis quæ modo indicavimus.

Quo numero calculorum uterentur Romani in hoc ludo incertum eſt, cum nemo veterum, quod ſciam, memoriæ prodiderit: Certe ſolis quinque non utebantur, ut Græci in ludo quinque calculorum, ſed multis. Ita mihi ſubolere videor, tum ex illa numeratione Julii Cani, tum ex illo belli apparatu atque imagine, quæ vix paucis calculis abſolvi potuiſſe videtur, & circumventio illa, illa ars alligandi plures calculos omnino deſiderat, nec obſcure magnum calculorum numerum oculis noſtris ſubjicit Lucanus, ſeu auctor Panegyrici ad Piſones.

In-

Interea sectis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus, plena tamen ipse pha-
lange,
Aut etiam pauco spoliata milite vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque
turba.

Nec illud habeo compertum omnes ne calculi ejusdem generis esse, paresque omnibus vires. Narrat Suetonius Neronem inter initia imperii quadrigis eburneis quotidie in abaco lusisse. Sed puto a Nerone calculos in forma quadrigarum effictos fuisse, propter studium equorum, & aurigandi, quo Princeps ille supra modum flagrasse fertur. Isidorus autem libro 18. cap. 67. calculos distinguit in vagos, ordinarios, & incitos. Calculi partim ordine moventur partim vage. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant. At vero qui moveri omnino non possunt, incitos dicunt. Unde & egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat. Notanda est igitur duplex calculorum differentia. Prima est quod alii ordine moventur, alii vage; videlicet, ut puto, alii certos, ac definitos motus habebant, alii nullis terminis circumscriptos, & libere spatiari poterant, & quocumque discurrere, ut apud nos alii gradatim progrediuntur, alii etiam longissime convolant. Huc refero illud Panegyristæ, ad Pisones.

——*lon-*

——— longo venit ille receſſu
Qui ſtetit in ſpeculis:

Mihi enim videre videor unum ex noſtris centurionibus in angulo tabulæ latentem, ac repente uno impetu in adverſum angulum procurrentem ad aggrediendum hoſtem, nihil tale cogitantem, recta tamen, non oblique ut videtur innuere *Ovidius*.

Diſcolor ut recto graſſetur limite miles

Altera eſt quod calculorum alii citi erant, alii inciti. Citos non nominat Iſidorus. Sed nullos alios incitis opponere poſſumus quam citos eorumque mentionem habemus in eod. Poem. ad Piſ.

Ut Citus effracta prorumpat in agmina mandra.

Citi moveri poterant, inciti non poterant. *Cio* enim apud Latinos ſignificat movere; quamquam non puto hoc ex varia natura calculorum promanaſſe, ſed omnes natura ſua citos eſſe, hoc eſt ab initio moveri potuiſſe, tunc vero incitos fieri, cum ab adverſariis ligati eſſent, atque concluſi, & omnis iis adempta progrediendi poteſtas. Hinc Iſidorus incitos homines appellari ait qui eo venerunt, ac redacti ſunt, ut nulla ſit illis ſpes ultra progrediendi. Eleganter, & argute ad rem noſtram *Plautus* in Pœnulo. act. 4. Sc. 2.

Profecto ad incitas lenonem rediget, ſi eas

eas abduxerit:

Quin prius disperibit, faxo, quam unum calcem civerit.

Alludit nimirum ad ludum calculorum, quia cum dixisset fore ut ad incitas redigeretur leno, rei magis exaggerandæ causa addit, eum disperiturum potius antequam vel unum calculum promoverit, hoc est antequam ad incitas redigi possit, quia calculi antequam ludus incipiat, inciti esse non possunt, sed inciti fiunt, cum ab adversario fuerint alligati. Ita ego locum Plauti accipio: nam & usus est verbo illo *civerit* quod proprium est hujus ludi, & dixit *calces* pro calculis more veterum. Ita *Lucilius* lib. 14.

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, &c

Calces, delectes te: hilo non rectiu' vivas.

Porro cum calculi inciti fierent, ubi ad extremum redacti erant, & prorsus inutiles, adagii loco dici cœpit, ad incitas redactus is, qui redactus est ad summam egestatem, & gravissimis conflictatur calamitatibus. *Plaut.* in Trinum. 2. Scen. ult.

—— *hem nunc hic, cujus est*
Ut ad incitas redactus?

Apul. l. 3. tum opulentiæ nimiæ nimio ad extremas incitas deductæ. *Charisius* l. 1. Inst. Alia unius tantum casus sunt, ut haud secus, ac jussi faciunt adfatim, ad

in-

incitas, inficias, ſuppetias &c. Lucilius tamen in neutro genere uſus eſt.

Illud ad incita cum redit, atque internecionem,

Et alibi

Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

Inciti igitur moveri non poterant, citi autem & progredi poterant, & regredi. Qui calculos promovebat, dare dicebatur, qui autem rurſus eos inde reducebat, *revocare*. *Ovidius* lib. 2. de Art. am.

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos,
Tu male jactato, tu male miſſa dato.

(perperam communiter legitur tu bene jacta, nulla commoda ſignificatione) *Quintil.* quem ſupra laudavimus; quo dato erraſſet recordatus. *Cicero* in Hortenſio: Si te alicujus dati pœnitet. *Ovid.* lib. 2. Triſt.

Ut mage velle ſequi ſciat, & revocare priorem,
Ne tuto fugiens incomitatus eat.

Et lib. 3. Ar. am.

Et cœptum ſæpe recurrat iter.

Auſonius in Epigr. cujus verſus ſupra deſcripſimus.

Quæ data per longas quæ revocata moras.

Immo concedente adverſario, ſi quis in dando calculo erraſſet, poterat eum reducere, nempe revocare in eum locum, un-

unde promoverat, quod & hodie fit. *Cicero* in Hortensio, ut refert Nonius: Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.

An essent eædem omnium calculorum vires, eadem potestas, non satis constat. Apud nos par est omnium vis, sed propter varios motus alii aliis potentiores judicantur. Idem fortasse apud veteres usuveniebat. Certe cum versus illos perpendo.

——— *hic ad majora movetur*
Ut citus effracta prorumpat in agmina mandra,
Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.

mihi videor videre Reginam nostram, quæ ubi in aciem prodiit, diripit, populatur, devastat omnia cominus, eminus hostes adorta.

His expositis constat ludum veterum Romanorum nostro ludo calculorum non fuisse dissimilem, nec tamen omnino similem. In nostro adhibetur laterculus forma quadrata, lateribus undequaque æqualibus, quibus sectis in octo partes protensisque rectis transversisque lineis a latere ad latus oppositum, tota laterculi area in regiones sexaginta quatuor albas, nigrasque, aut aliorum colorum distinguitur, ita ut albæ nigra, nigræ alba succedat undecumque. In hac tabula disponuntur sexdecim calculi discolores, hinc albi, exad-

ver-

verſum nigri, quorum varia nomina, varii uſus. Pares ſunt acies tum numero militum, tum viribus, & ex æquo pugnant. In utraque ſunt octo pedites, duo turriti Elephanti, duo equites, duo Ariphili, ſeu centuriones & cum Rege Regina. In octo ſedibus primæ lineæ collocantur Rex, & Regina, centuriones, equites, & Elephanti, atque ita diſponuntur. Rex & Regina in duabus ſedibus mediis primæ lineæ conſtituuntur, ita ut Regina nigra nigræ ſedi, alba albæ ſemper inſiſtat; contra vero Rex ſedem occupet diſcolorem. Latus regis ac Reginæ tuentur centuriones, iiſque ſuccedunt hinc, atque inde equites, & in extremis ſedibus elephanti collocantur. Octo ſedes ultimæ lineæ occupant octo pedites. Inter utramque aciem patet uſquequaque militum excurſibus liber campus, in quem primi procurrunt pedites, ut aliis, qui a tergo ſunt, aditus aperiatur. Progrediuntur autem pedites lento gradu, ac pedetentim de regione in regionem, recta ad hoſtium arcem, non oblique, non ex tranſverſo. Hoc eorum peculiare eſt, quod ubi primum pedem movent, poſſunt, ſi velint una regione tranſgreſſa in aliam ſuccedentem tranſilire; poſt primum gradum hoc eis negatur, ſemperque debent ultra provehi, numquam gradum referre, ac retrogradi poſſunt; ubi vero ad

ex-

extremam lineam hostilis campi penetraverit aliquis ex iis illæsus, potest unum ex sociis ab hostibus e medio sublatum redimere, quemcumque voluerit, dum tamen ipse semet dedat pro pretio redemptionis, eoque substituto in locum suum, ipse acie excedat. Elephanti tum recta tum e transverso moventur & quam longissime possunt etiam a summo ad extremum campum transcurrere, ac rursus retroferri, non tamen oblique moveri possunt in decussim. Contra centuriones solum oblique in decussim decurrunt quaquaversus, quocumque libuerit. Equites vero solum in orbem moventur, ex areola in areolam transilientes mediam prætervecti, quo motu dimidium fere circulum describunt. Hoc enim peculiare est, quod etiam si media illa sedes, quam prætervehuntur sit a calculo aliquo occupata, tamen eorum transcursus non impeditur, cum aliorum omnium calculorum motibus quicumque calculi interiecti sint impedimento, quo minus ultra possint transcendere, ac penetrare. Reginæ solus equitis motus in orbem interdicitur; cæteri omnes transversi, recti, obliqui, præter propter quocumq; fert impetus concedunt. Idem motus conceduntur etiam Regi, dum ne longius uno gradu prosiliat, sed semper in finitimam regionem a fronte, a tergo, a latere, lento, gravique passu pro-

ve-

vehatur. Hi ſunt calculorum omnium motus. Pares ſunt omnibus vires, nam cujuſcumque generis miles cum quolibet ex æquo congreditur, eumque tollit e medio, ſi illum loco dejiciat in ejus ſedem permeando. Pedites tamen licet recta promoveantur, tamen ſi confinis areola ab aliquo calculo ſit occupata, in eam migrare non poſsunt, neque enim hoc recto motu hoſtem perimunt, ſed ſi quilibet calculus areolam oblique ad latus peditis inſederit, poteſt pedes in illam irruere, ut hoſtem vicinum invadat. Pedes igitur ut hoſtem capiat in quincuncem moveri poteſt, retrocedere enim numquam poteſt. Solus Rex perimi non poteſt. Quamobrem ſi calculus aliquis ità ſit poſitus ut vitæ Regis inſidietur, & in ejus ſedem poſſit excurrere, monetur Rex ut vel in tutum locum recedat, vel aliquo calculo ſe tueatur, & protegat, impetumque hoſtis in ſe irruentis retundat. Quod ſi ad incitas redactus ſit, atque ita undequaque obſideatur, ut nec uſquam pateat locus ab hoſtium incurſu munitus, in quem poſſit evadere, neque ullus miles præſto ſit, qui poſſit ipſum protegere, confecta res eſt, ac debellatum, luduſque peractus. Dicitur autem etruſce *Schacco Matto*. Eleganter hoc a Latinis extorquet Salmaſius. A Calculo fit Calclus, mox Calchus, & Cachus & adiecta littera S

Sca-

Scachus, solebat enim adjici a recentioribus Latinis; sic enim Sphalangium pro phalangium apud Vegetium. Sic sphæculam pro fæcula, squadrones pro quadrones & pro quadra squadram, & pro tupha, stupham. Mattus autem dicitur, quia subactus est a verbo Græco ματτὰ, quod est pinso, subigo, emollio. *Isidor.* in Glos. Mattum est, humectum est, emollitum, infectum. *Cic.* ep. ad Att. l. 16. ep. 12. Itaque eo die mansi Aquini, longulum sane iter, & via matta. Communiter legitur inepta, sed male. Veteres Glossæ apud Turnebum *Mattus* tristis.

CAP. VII.

De Tabula, & Calculis, eorum materiæ, colore, & figura.

NOn est dubitandum veteres ex quacumque materia Tabulam Calculosque confeciſſe. Immo in qualibet tabula, mensa, lapide, utcumque contigerat, ductis rectis, transversisque lineis areolas illis, ac sedes designasse arbitror, non aliter atque apud nos a pueris tabula illa describitur, in qua tribus, aut novem scrupis ludunt. Neque enim puto veteres usos fuisse tabula tesselata, quali nos utimur tesserulis albis, nigrisque, aut aliorum colorum distincta; semper enim me-

minerunt calculorum diſcolorum, numquam vero diſcolorum regionum in tabula. In ludo quinque calculorum apud Græcos lineæ ſolum in tabula deſcribebantur, ut ſupra copioſe oſtendimus, in ludo vero multorum calculorum tabulæ planities in areolas dividebatur, ſed ſolis lineis diſtinctas. *Polyb.* l. 9. c. 7. Ludus vero, qui fit per multos calculos eſt latercu-lus, in quo lineis regiones diſpoſitæ ſunt, & alii paſſim. Sed hæc ex his, quæ hactenus diximus unuſquiſque poterit obſervare.

Græcos a Palamede doctos, in lapide luſiſſe, nos docet Euſthatius ad lib. 2. Il. & 1. Odyſ. quem Lapidem in Ilio oſtendi refert, ex Polemone Hiſtorico.

Petronius vero meminit tabulæ terebinthinæ: Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & cryſtallinis teſſeris, notavique rem omnem delicatiſſimam; pro calculis enim albis, aut nigris aureos, argenteoſque habebat denarios.

Tabulæ eburneæ meminit vetus Epigramma de Tabula.

Indica materies blandum certamen amicis
Offert ſe, belli fert ſimulacra tamen.

Et aliud ſimile de ebore.

Conſulibus Sceptrum, Menſis decus; arma tabliſtris
Diſcolor & tabulæ calculus inde datur,

Mar-

Martialis.

Senio nec nostrum cum pede quassat ebur,

Marmoream tabulam in qua Tesseris ludebatur, eleganti Carmine exornavit. *Paulus Silentiarius*, lib. 9. ep. Gr. c. 32. quod utinam eorum, qui ludunt mentibus altius infigeretur.

Ἑζόμενος μὲν τῇδε παρ' εὐλαίγγι τραπέζῃ
Παίγνια κινήσεις τερπνὰ βολοκτυπίης.
Μήτε δὲ νικήσας μεγαλίζεο· μήτε ἀπολειφθείς,
Ἄχνυσο, τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βολίδα
Καὶ γὰρ ἐπὶ σμικροῖσι νόος διαφαίνεται ἀνδρός,
Καὶ κύβος ἀγγέλλει βένθος ἐχεφροσύνης.

Quod ita sumus interpretati etiamsi Græci carminis elegantiam assequi haudquaquam nos posse speremus.

Ad tabulam hanc nitido pretiosam marmore ludes,
Leniat ut curas tessera jacta tuas.
Nec tamen aut jactu nimium lætare secundo,
Aut nimium doleas, si male missa cadet
Magna sed in parvis mens eminet, ipsaque ludo
Tessera degeneres arguit usque viros.

Omnium pretiosissima erat tabula lusoria, quam e bello Mithridatico Romam transtulit magnus ille Pompejus. Describit illam *Plinius* lib. 37. c. 2. verbis decerptis ex actis Triumphorum Pompeii: Transtulit

alveum cum Teſſeris luſorium e gemmis duabus; latum pedes tres, longum pedes quatuor, & ne quis ea de re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente; in eo fuit Luna aurea pondo triginta. Tali utebatur tabula potentiſſimus atque opulentiſſimus ille Rex, cujus eſt etiam celebris vagina quadrigentorum talentorum.

Neque miretur aliquis quod cum de Tabula Latruncularia verba faciamus, uſi ſimus teſtimoniis Scriptorum, qui de Tabula, in qua teſſeris luditur, verba faciunt. Sciendum enim eſt in eadem tabula, & teſſeris, & Latrunculis luſſiſſe veteres, hinc teſſeris, illinc latrunculis. *Mart.* in Tabulam Luſoriam.

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto,
Diſcolor hic gemino calculus hoſte perit.

Verum enimvero (licet, ut diximus, & confirmatur ex illa Mithridatis tabula ex duabus gemmis) tabula non eſſet diſtincta colorum varietate, calculi tamen ſemper bicolores erant. *Sidon.* Apoll. l. 8. Ep. 12. Hic te ædificatus culcitris thorus; hic tabula calculis ſtrata bicoloribus; hic teſſera frequens elaboratis reſultatura pyrgorum gradibus expectat. Et cum eo Poetæ omnes calculos diſcolores appellant, neque enim aliter dignoſci potuiſſent. Pugnabant plerumque nigri cum albis. Auth. Panegyr. ad Piſones.

Ut

Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.

Quandoque candidorum cum purpureis. *Prosper Aquitan.* de Gloria Sanctorum in fine. Vetus Epigr. lib. 4. vet. Ep.

Discolor ancipiti sub jactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens.

Aliud Epi. Vetus.

Namque acie æquali concurrit russeus albo,
Ut gravibus damnis se domet alterutrum.

Et simile Ep:

Ludentum vario exercentur prælia fato,
Russeus an nitidus præmia sorte ferat.

Tenujores calculis lapideis usos fuisse non dubito, quemadmodum initio omnes, unde a Latinis dicti calculi, nempe lapilli. Elengatiores tamen utebantur eburneis, unde summum frugalitatis, & paupertatis exemplum: apud Juvenalem.

——— adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia, quin ipsa manubria cultellorum
Ossea.

Et Vetus Ep. de ebore.

Discolor & tabulæ calculus inde datur

Plerumque tamen calculi vitrei erant. In Poematio ad Pisonem.

Vitreo peraguntur milite bella

Mart. lib. 7. Epigrammate 71.

Sic vincas Noviumque, Publiumque
Mandris, & vitreo Latrone clauſos.

Et Poetæ paſſim. Cavendum tamen eſt, ne nobis imponat *Raderus* qui in Commentariis Martialis lib. 7. Ep. 60. Vitreum calculum ſignificare putat cæruleum, vel album, vel nigrum, uno verbo calculos diſcolores vitreos dici putat exemplo maris, quod vitreum dici putat, quia cæruleum. Errat vir ille doctiſſimus. Vitreum mare, & undæ vitreæ dicuntur, quia æquabiles puræ, atque pellucidæ inſtar vitri. *Plinius* Ep. 161. Hunc ſubter fons exit, & exprimitur pluribus venis, ſed impariſibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus, & vitreus. Vitrei fontes a Poetis appellantur, qui tamen cærulei ſunt. Eſto Vitreum ſit Cæruleum, num propterea etiam nigrum, candidum, purpureum ſignificabit? Quænam eſt vitri cum his coloribus ſimilitudo? Præterquam quod nuſquam legimus calculos cæruleos, ſed vel albos, & nigros, vel candidos, & rubeos. Iidem calculi a *Martiale* gemmei dicuntur.

Gemmeus iſte tibi miles, & hoſtis erit.

Non quia vere eſſent gemmei, ſed quia vitrei, & variis coloribus imbuti. Tale enim vitrum gemma vocabatur. *Plin.* de vitro nigerrimi coloris lib. 36. c. 26. Gem-

mas

mas multi ex eo faciunt; vidimusque & solidas imagines Divi Augusti. *Martial.* lib. 14. 94.

Non sumus audaces plebeja toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Idem lib. 12. 75.

Cum tibi Niliacus portet crystalla Cataplus,
Accipe de Circo pocula Flaminio:
Hi magis audaces an sunt, qui talia mittunt
Munera? sed gemmis vilibus usus inest.

Trebellius Pollio in Gallienis: Idem cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa re prodita vindicari vellet, surripi quasi ad Leonem venditorem jussit. Deinde e cavea caponem emittit, mirantibusque cunctis rem tam radiculam per curionem dici jussit: Imposturam fecit, & passus est. *Tertull.* ad Martyr. cap. 4. Tanti vitreum, quanti verum Margaritum. *Hier.* Ep. ad Demetriad. Tanti ut dicitur vitrum, quantum Margaritum. Nec mirum: Veteres enim variis coloribus vitra pingebant gemmasque omnes imitabantur. Eodem modo Plinius meminit vitri nigerrimi coloris, quod vocabatur obsidianum, ad similitudinem lapidis obsidiani, quem in Æthiopia invenit Obsidius, mox addit:

Fit & album, & murrhinum, aut hyacinthos, Sapphyroſque imitatum, & omnibus aliis coloribus: Nec eſt alia nunc materia ſequacior, aut etiam picturæ accomodatior. Teſtatur Strabo lib. *16.* Vitrarios Romæ multa commentos eſſe ad calices colorandos, tantamque fuiſſe eorum vilitatem, ut aſſe poculum venumdaretur. Argute quidem Martialis.

Aſſe duos calices emit, & ipſe tulit.

Faciebant etiam calices verſicolores, qui Græco nomine ἀλλαφρόντες allaſſontes dicebantur, quod colores mutarent inſtar colli columbarum. Strabo eodem loco refert, ſe audiviſſe hos non potuiſſe fieri ſine quadam terra hyalitidi, quæ in Ægypto reperiebatur. Erant autem hi Calices pretioſiſſimi. Refertur a *Fl. Vopiſco* in Saturnino epiſtola *Adriani* Imperatoris ad Servianum conſulem, cujus hæc poſtrema verba: Calices tibi allaſſontes verſicolores tranſmiſi, quos mihi Sacerdos templi obtulit, tibi & Sorori meæ ſpecialiter dedicatos, quos tu velim feſtis diebus conviviis adhibeas; caveas tamen his Africanus noſter indulgenter utatur. Ex hoc etiam vitro pretioſiſſimo calculi fiebant. *Plinius* eodem loco: Fragmenta teporata agglutinantur tantum, rurſus effundi non queunt, præterquam abrupta ſibimet, veluti cum calculi fiunt, quos quidem abaculos appellant, aliquos etiam pluribus modis

dis versicolores. De Latrunculis hoc interpretor dictum, qui abaculi dicebantur, quia ipsis in abaco ludebatur; & puto deceptum *Hermolaum* aliorsum hæc accipientem. Recte igitur Martialis vitreos calculos, gemmeos dixit, & alibi gemma ludere, pro latrunculis ludere.

—— *Gemma vis ludere, vincor.*

De figura calculorum nemo nos monuit. In ludo tesserarum quælibet figura erat accomodata, cum omnes calculi ejusdem essent naturæ, ejusdem figuræ, ejusdem usus. Quare Trimalcio apud Petronium denariis aureis, argenteisque ludebat in alveo terebinthino. Vetus autem cento de Alea rotundos eos facit eo versu.

Triginta magnos, adversisque orbibus orbes.

Et propriè calculi rotundi, ac teretes, ut testis est Isidorus, Orig. lib. 16. c. 5. Latrunculos tamen non ejusdem omnes figuræ fuisse credendum est, siquidem non omnium similes motus. Rotundos non fuisse verba Plinii ostendunt modo allata: quorsum enim ex fragmentis agglutinatis facti fuissent, si rotundi, & poterant veteres quascumque figuras etiam hominum, & animalium vitro referre: Observastine supra in Plinio solidas Augusti imagines ex vitro nigerrimo? Vitrum enim non solum flatu figurabant, sed torno, & cælatura. Idem *Plinius* de Vitro:

Aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sydone quondam his officinis nobili. Hinc vitri toreumata apud *Martialem*.

——— *plebeja toreumata vitri.*

Et alibi.

Nullum ſollicitant hæc Flacce toreumata furem.

Sed facile torno quamlibet figuram exprimebant: in cælandis vero ſculpendiſque vitris non parvum periculum. *Martialis*.

Aſpicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!

Ulpianus in l. *ſi Servum* 27. §. *ſi Calicem ff. ad legem Aquiliam*: Si Calicem diatretum faciendum dediſti, ſi quidem imperitia fregit, damni injuria tenebitur, ſi vero non imperitia fregit, ſed rimas habebat vitioſas, poteſt eſse excuſatus. Calix diatretus faciendus datur, hoc eſt ſculpendus, cælandus. *Martial.* lib. 12. Ep. 71.

Oh quantum diatreta valent, & quinque comati!
Tunc, cum pauper erat, non ſitiebat Aper.

CAP.

CAP. VIII.

De illis qui in ludo Calculorum celebres extitere.

HÆc de ludo ipso notatu digna judicavimus: nunc pauca de ipsis lusoribus subjiciamus. Hunc ludum difficilem esse ipse divini vir ingenii *Plato* existimavit. In 2. Polit. ait. πεττευτικος, ὁ κυβευτικος ικανὸς ουδ' ἂν εἰς γενοίτο, μὴ ἀυτὸ τοῦτο ἐκ παιδος ἐπιτιδεύων. Nemo peritus esse potest calculorum vel tesserarum lusor, qui non a puero fuerit in eo ludo institutus, & lib. 7. de legibus. πεττεύειν δεῖ τοὺς νεους μανθάνειν: Calculis juvenes discere oportet. Et in Alcibiade primo vulgus hujus ludi non esse Magistrum idoneum Socrates affirmat. Excelluerunt hoc in ludo non pauci quorum ad nos memoria pervenit. In ludo Procorum primas tulit *Eurimachus*, ut supra monuimus ex Athenæo. *Pyrrhum* Epirotarum Regem hujus ludi peritissimum fuisse constat, & per hunc ludum belli Stratagemmata tradidisse. Donatus nos docuit *Mutium Scævolam* celeberrimum Ictum non latrunculis sed 12. Scriptis, & pila egregie lusisse ferunt. *Martialis* ut *Paulum* suum lusorem calculorum excellentem esse demonstret, ait eum superaturum Novium, & Publium.

Sic vincas Noviumque Publiumque,
Mandris, & vitreo Latrone clauſos.

Athenæus lib. 1. Dipnoſophiſt. meminit *Diodori Megalopolitani*; atque *Theoxeni*, qui hujus ludi peritia celebres extiterunt, traditque a *Phania* Scriptum *Leonem* quemdam Mytilenæum Athenis oriundum in hoc ludo fuiſse inſuperabilem.

CAP. IX.

Inter ludos aleam omnino improbandam: Ceteros permittendos ſi modice illis utamur.

TRria ſunt Ludorum genera, in aliis ſola fortuna dominatur, nullas ſibi partes induſtria vindicat, nullas ingenium. Hujus generis ſunt ludi talorum, & teſſerarum cum plus jacienti victoria defertur, in aliis cum fortuna certat ingenium, & ſortis iniquitas ſolertia artis eluditur, cujuſmodi eſt ludus teſſerarum cum calculis, quem vitæ humanæ apex ille ſapientiæ Plato comparabat. Poſtremum genus eſt eorum, in quibus omnia arti, atque ingenio ſunt tribuenda, quorum alii ad Corporis exercitationem ſunt inſtituti, quales erant apud Græcos ſtadium, hoplithe, pigme, pancratium, pale, halma, harpaſtum, diſcus, & ſi qui ſunt hujus generis ceteri. Alii ad fallen-

lendum otium animumque a curis relaxandum, ut ludus calculorum, aliique propemodum innumerabiles. Prima duo ludorum genera aleæ nomine continentur, dicitur enim alea de fortuitis omnibus, in quibus casus aut lucrum affert, aut damnum. Suet. in Cæs. c. 33. Luc. lib. 6. vers. 9. Hinc illud Cæsaris: *jacta est alea*: & Horatii:

Periculosæ plenum opus aleæ.

& a ictis aleam emere dicuntur, qui aut captum avium, aut jactum retis emunt, quod forte fortuna possit accidere. Ut & quam plurimas aves piscesque ea conventione sibi aquirant, & nullos. Aleæ tamen nomen de ludis illis proprie usurpatur, ac præcipue de talis, ac teseris, non tamen quia a milite quodam nomine *Alea* inventi sint, ut nugatur Isidorus. Aleæ ludum ab omnibus reprehensum semper, & ubique damnatum, atque omni jure interdictum fuisse constat. *Horatius.*

Seu malis vetita legibus alea.

Paulus in l. 2. ff. de Aleatoribus meminit S. C. quo vetitum fuit in pecuniam ludere: Præterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat. Prætor autem ita edixit: Si quis eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit damnumve ei dederit, sive quid

eo tempore dolo ejus ſubtractum eſt, judicium non dabo. Legis Roſciæ contra aleatores meminit *Aſconius Pedianus* in lib. 2. Cicer. de divinatione.

In aleatores olim Cenſores animadvertiſe puto, quibus Civium diſciplina erat commendata: Poſtea hujus rei cognitionem ad Ædiles fuiſſe translatam, poſteaquam Cenſoriam dignitatem Imperatores ſibi vindicarunt. *Martialis*. Lib. 14. ep. 1.

Nec timet ædiles moto ſpectare fritillo,
Cum videat gelidos jam prope verna lacus.

Et alibi.

Jam triſtis nucibus puer relictis
Clamoſo revocatus a magiſtro,
Et blando male perditus fritillo,
Arcano modo raptus e popina
Ædilem rogat udus aleator.

Quare mirandum non eſt ſi in toto tituſo Pandectarum de aleatoribus nullum ſit edictum, quo ipſi aleatores coerceantur, hoc enim non ad coercitionem prætoriam, ſed cenſoriam, & ædilitiam videtur pertinuiſſe. Poſtea hæc cognitio ad Præfectum Urbis, & Præſides Provinciarum, & Epiſcopos fuit translata ex l. 60. Tit. 8. *βασιλικῶν*, & ex l. 1. & ult. C. de Aleatoribus.

Nec immerito a veteribus legum latoribus tam provide cautum eſt ne alea luderetur. Nam & Ariſtoteles fures latrones

nes, & aleatores comparat, quod lucrum ab amicis captent, quibus dare oporteret. Et *Catullus* summam ignominiam, vitæque improbitatem tribus hisce vitiis contineri est arbitratus lib. 4. ad Nicom.

Cinede Romule, hæc videbis, & feres?
Es Impudicus, & vorax, & aleo.

Et *Cicero* in 2. Philip. vocat Lenticulam hominum omnium nequissimum, qui non dubitarit, vel in foro alea ludere. Ab hoc enim ludo, tamquam a fonte inexhausto vitia fere omnia in omne genus hominum derivantur. Hinc juramenta, & sæpe perjuria, hinc doli, fraudesque & qui vincit immodice effertur animo, qui vincitur fato, fortunæque iratus adversæ

Dicit in æternos aspera verba Deos.

Et jurgiis, atque conviciis plerumque contendit, & rixas ciet, reique levissimæ causa de vita, de capite certatur, qui mos detestabilis ab antiquissimis temporibus ad nos usque promanavit, cum litterarum princeps Homerus Patroclum adhuc puerum non alia de causa filium Amphidamantis interfeciisse prodiderit. *Horat.* ep. pen. lib. 1.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iras,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Quid quod Veneris, & Bacchi assiduus comes est ludus, nec male impudicum, & voracem cum aleone conjunxit Catullus

lus; & Valer. Max. de Sylla. Vitam libidine, vino, ludicræ artis amore, inquinatam perduxit. *Perſ.* Sat. 5.

Qui vino indulget, quemque alea decoquet, ille
In Venerem putris?

Jam vero aliorum vitiorum aliquis eſſe modus ſolet, aleæ nullus: certat enim avaritia cum prodigentia, & dum luſor alienis inhiat opibus ſuas prodigit. Ovidius.

Et ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor,
Et revocat cupidas alea ſæpe manus.

An vero modum ullum ludendi noverat Volanerius ille apud *Horat.* Satir. lib. 2. Sat. 7.

—— poſtquam illi juſta chiragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit.

Quid Germanis (*Tacit.* de morib. German.) qui aleam inter ſeria ſobrii exercebant, tanti lucrandi, perdendive temeritate, ut cum omnia defecerant, extremo, ac noviſſimo jactu de libertate, ac corpore contendebant, & victus voluntariam ſervitutem adibat, quamvis junior, quamvis robuſtior, alligari ſe, ac venire patiebatur? quid Hunni? qui poſtquam arma victi tradidiſſent, uno aleæ jactu de vita certabant, eamque victoris

po-

potestati addicebant. Quid Rhodii, qui de navibus liberis, & ingenuis certabant tesseris? Quare nec immerito ab iis Hegesilochus ejectus est ex urbe, (*Eusth.* ad lib. 1. Odys.) quod talis lusisset. Paulatim enim se insinuat, ac crescit ludendi desiderium, & ubi animum mala cupiditate devinxerit, evadit in aliquod malum grave, & insanabile. Ac recte *Plato* puerum alea ludentem conspicatus increpuit: Non magna res est alea ludere, sed assuescere. Serpit autem latissime pestis hæc, & cum alia vitia senes inficiant, alia juvenes, pauca admodum pueros, nec ullum vitium ex æquo pauperes divitesque, plebejos ac Reges, infirmos, ac robustos invadat; hæc una contagio detestabili, omnia status, omnia hominum genera corrupit atque corrumpit. Nulla tamen major inde pernicies, quam quod animum avocat a rebus seriis, debilitat, frangit, & homines cogit virtutis oblivisci, nec ipsis parcit Imperatoribus, & rerum Dominis, quibus tot rerum gravissimarum cura, atque onus incumbit. Ipse Augustus indulsit aleæ, unde bello Siciliensi jactum est in ipsum dicterium illud. (Suet. in Aug. c. 71.)

Postquam bis classe victus naves perdidit
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.

Et ipse in quadam ad Tiberium epistola fatetur se viginti millia nummum perdi-

disse,

diſſe, cum poſſet vincere quinquaginta millia. Alea quoque ſtudioſiſſime luſit Claudius Imperator: Solitus etiam in geſtatorio ludere, ita eſſedo, alveoque adaptatis, ne ludus confunderetur. Quare merita illum affecit pœna Æacus apud Senecam in Apocol. De hac arte librum quoque emiſiſſe fertur, dignum ſane opus eo viro Hom. Il. 2.

Ὦλλοι τ' ἐπι τετράφαται, ἠ τόσα μέμηλε.

Scripſit & Suetonius Tranquillus, ſed de ludis Græcorum, non de alea, & hiſtoricus, non Imperator, qui mundi ſub mole laboraret; Nero profuſiſſimus quadringentis in punctum H S aleam luſit. Eadem ſe oblectavit Domitianus, ejuſdemque fuit cupidiſſimus Verus Imperator, quod & de Artaxerxe traditum a Plutarcho. Quamobrem tanto magis ab ea cavendum, quanto latius omnium male propagari videmus, & ſummis etiam viris perniciem attuliſſe; memoriæque mandemus præceptum illud *Agathiæ* quo claudit Epigramma ſeptimum in tabulam Zenonis Imperatoris.

Ταύλην φεύγετε πάντες, ἐπεὶ καὶ κοίρανος αὐτὸς
Κείνης τὰς ἀλόγους οὐχ ὑπάλυξε τύχας.

Cum tabulæ ſortem non declinaret iniquam
Rex ipſe, hoc ludo ne capiare, cave.

Et ut ait M. Tullius l. de Senect. Senibus relin-

relinquamus talos, & tesseras, & siquis propterea nos timidos appellare audeat, in promptu sit Xenophanis responsio: Nos sane ad turpia timidos, ac languidos esse.

Tertium vero genus ludorum, quod aut ad corporis exercitationem, aut ad otium honeste fallendum animique remissionem est institutum, utile quidem est, & laudandum, dum tamen illis utamur, ut præscribit *Isocr.* in Oratione ad Demonicum: a labore cessantes, dum adhuc laborem tolerare possimus; his vero ut præcipit *M. Tullius* in primo Off. libro: Non ita generati sumus a natura, ut ad ludum, & jocos facti videamur, sed ad severitatem potius, & quædam studia graviora atque majora. Ludo, & joco uti illis quidem licet, sed sicuti somno, & quietibus ceteris, tunc cum gravioribus rebus, seriisque satisfecerimus. Ludendi quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Si modus hic in ludendo servetur ne alea quidem aliquando ludere turpe est. Sed quia periculi plena est, satius erit ab ea omnino abstinere. Ita lusisse Heraclitum, ita Socratem par est existimare. Ita Cæsarem, & Catonem, qui talis in cœna partem sortiebatur, & qua die repulsam Præturæ tulit, pila lusisse fertur.

Ita

Ita Scævolam JC. qui reſpondendi laborem pilæ, ac duodecim Scriptorum luſu levabat. Ita Scipionem, ac Lælium, de quibus ſæpe Cicero & Horat. lib. 2. Sat. 1:

Quin ubi ſe a vulgo & Scena in Secreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti.

At vero quis ferat aliquos, qui ludos tamquam feria meditantur, & ubi totam fere diem ineptiſsimis occupationibus contriverint, & aliqua deambulatiuncula, aut aliquo ſermone illepido, & infaceto ſe oblectaverint, quaſi magnum aliquod opus perfecerint, ad ludum jocumque ſe conferunt, putantque ſe ad otium, & voluptates dumtaxat a natura fuiſse procreatos: Adeo nihil altum, nihil magnificum, nihil divinum ſuſpicere poſsunt, qui ſuas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, atque contemptam. (Cicero in Lælio.) Sed horum, qui ſibi beati videntur ſimplicitas miſerabilis, & otium ipſum pœna eſt & negotium maximum. Sapienter Ennius in Iphigenia ap. Gell. lib. 19. c. 30.

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam cum eſt negotium in negotio.
Nam cui, quod agat, inſtitutum eſt,
nullo negotio

Id

Id agit: studet ibi, mentem atque animum delectat suum;
Otioso initio animus nescit, quid velit;
Hoc idem est, neque domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc; cum illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incerte errat animus, præter propter vitam vivitur:

Sit igitur otium nobis, non negotium; sed negotii levamentum & ludus latrunculorum honesta quædam remissio curarum, & in ipsa remissione animum exerceamus: *Etenim* (Cœl. Aurelian. lib. 2. Tard. pas. c. 5.) *calculorum ludus habet quoddam quod animum exerceat.* Sed nos satis jam lusimus. *Mart.* lib. 13. Ep. 1.

Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus;
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

FINIS.

00567967 9